


ALB



John Carter Brown.









BREVIS NARRATIO
 EORVM QVÆ IN FLORIDA AMERICÆ PROVINCIA
 Gallis acciderunt, secunda in illam Navigatione, du-
 ce Renato de Laudoniere classis Præfecto.

Anno M D LXIII.

QVÆ EST SECUNDA PARS AMERICÆ.


Additæ figuræ et Incolarum eicones ibidem ad vivū expressæ:
 brevis item Declaratio Religionis, rituum, vivendi que
 ratione ipsorum.

Auctore


Iacobo le Moÿne, cui cognomen de Morgues, Laudonierum
 in ea Navigatione sequuto.


Nunc primum Gallico sermone à Theodoro de Bry Leodienſe
 in lucem edita: latio verò donata a C.C.A.

Cum gratiâ et priuilegio Cæs. Mæſt. ad quadriennium.



FRANCOFORTI AD MOENVM
 Typis Ioānis Wecheli, Sumptibus vero Theodori
 de Bry ANNO M D XCI.
 Venales reperiri in officina Sigismundi Feirabēdii






BREVIS NARRATIO
EORVM QVÆ IN FLORIDA AMERICÆ PROV̄CIA
Gallis acciderunt, secunda in illam Navigatione, du-
ce Renato de Laudoniere classis Præfecto:
Anno M D LXIII.
QVÆ EST SECVNDÆ PARS AMERICÆ.
Additæ figuræ & Incolarum eicones ibidem ad vivū expressæ.
brevis item Declaratio Religionis, rituum, vivendi que
ratione ipsorum.
Auctore
Iacobo le Moyne, cui cognomen de Morgues, Laudoniærum
in ea Navigatione sequuto.
Nunc primum Gallico sermone à Theodoro de Bry Leodiensē.
in lucem edita: latio verò donata a C.C.A.

Cum gratia & privilegio Caroli Martelli ad quadriennium.




FRANCOFORTI AD MOENVM
 Typis Ioānis Wecheli, Sumptibus vero Theodori
 de Bry ANNO M D XCI.
 Venales reperiūtur in officina Sigismundi Feitabedi



Maria Anna

ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DN. CHRISTIANO, DVCI SAXONIÆ,
LANDGRAVIO THVRINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ,
Burggravio Magdeburgensi, Sac. Rom. Imperii Archimarschalco
& Electori, &c. Domino suo Clemen-
tissimo.



M
VLTIS placuit Ill^{me} Princeps ac Domine Clementissi-
me, Virginiae historia, quam Ill^{ma} V. C. nomini dicavi.
Nūc in lucē emitto Floridae historiam, perbreuem quidem
illam, sed quæ multa scitu digna contineat paucis adhuc
cognita: & cum pluribus elegantioribusque iconibus &
picturis sit exornata quam superior, addita etiam Chorographia dili-

Epistola Dedicatoria.

gantissimè expressa, quæ magnam venustatem illi conciliat (scio enim nullam illius regionis descriptionem hæcenus fuisse publicatam quæ huic comparari possit) magis adhuc placituram spero. Nam illa breviter explicat quid Gallis duce Laudonniero in eam Provinciam profectis acciderit anno MDLXV. & quam crudeliter contra usurandum & datam fidem ab Hispanis sint trucidati: deinde Incolarum mores, ritus, ceremonias, victus rationem, & ornatum luculenter admodum exprimit. His ingenium vafrum, acre, ad bellum pronum, vindictæ cupidum, contra Virginiensibus mite & placidum.

Licet autem nullis sumtibus (qui sane non fuerunt leves) aut laboribus pepercerim, ut hæc Historia ornatio, plenior & absolutior in lucem prodiret: non de futuros tamen suspicor (ut tetricum, & alienos conatus carpenti prurigine laborans est quorundam ingenium) qui cavillentur.

Eam ob causam, ut Virginia patronum ante delegi Ill^{ma} V. C. sub cuius presidio tuta esse posset ab istorum vitilitigantium & male feriatum hominum Theonino dente: sic eiusdem Ill^{ma} V. C. tutela commendandam puta vi hanc ipsius sororem Floridam.

Illam igitur eadem animi benignitate excipere & fovere dignabitur Ill^{ma} V. C. cum sorore longe venustior sit, & me cum utraque commendatum habere.

DEVS OPT. MAX. Ill^{ma} V. C. omni felicitatis genere, pro divina sua clementia prosequi velit. Datum Francofurti ad Mœnum 30. Februarij, Anno reparatæ salutis humanæ c I O I O X C I.

Ill^{ma} V. C.

humillimus cliens

Theodicus de Bry
Leodiensis, & civis
Francofurtensis.

BENEVOLO LECTORI.



NOLI existimare, benevole Lector, *Virginia*, quã ante aliquot menses publicam fecimus, & hanc *Florida*, quam tibi nunc proponimus, Historias nobis dumtaxat esse concessas, ut voluptatem ex earum lectione & intuitu caperemus; tametsi, ut verum fateamur, ea res magnoperè animos etiam afficiat: sed potius, ut observatis immensis & admirandis Dei operibus, illi gratias agamus pro accepto beneficio, quòd se nobis patefacere, & salutis viam nos docere dignatus sit, cum animadvertimus miseris istos *Florida* & vicinarum Provinciarum incolas (qui tamen ab uno ex Noë liberis haud dubiè originem duxerunt, à *Cham* verò potius, ut credibile est, quàm ab ullo ex reliquis) cognitionis Dei adeo esse ignaros. Alioqui sane eleganti corporis symmetria donati sunt, magni, robusti, audaces, agiles: summi tamen dissimulatores & infidi. Luridum & sordidum colorem habent, quem corporis inunctione oleo quodam, & Solis ardoribus contrahunt: nam recens nati satis sunt albi.

Ad lectorem Præfatio.

Vt verò in Virginiae historia significavi à quo illius icones acceperam: sic etiam tibi significandum duxi, hanc historiam & ejus icones in Anglia accepisse à vidua Jacobi le Moyne, cui alias cognomen de Morgues inditum erat, pictoris, qui Laudonierum in eam Provinciam secunda navigatione comitatus est, isticque icones expressit, deinde rei gestæ historiam conscripsit, quam dum viveret aliquoties mihi ostendit.

Gaudio igitur perfusus me eam esse nactum, nullis sumptibus peperci, ut illam prælo committerem, egoque & mei liberi diligentem operam impendimus incidendis in æreas tabulas iconibus, ut nitidiores essent, licet parum durabiles, quia delicatior illa sculptura facillè atteritur. Mea tamen diligentia nihil effecissem, omnia enim in varias schedas dispersa acceperam, nisi Nobilis viri mei amici benevola opera in rebus ordine distribuendis adjutus fuisset: quin & Gallicum Historiæ sermonem ille expolivit, & eam deinde Latinam fecit, quemadmodum antea Virginiae Historiam.

Provinciae ergò Chorographiam, Incolarum icones, vivendi rationem & ritus ad vivum expressos, tibi que oblatos, ut non minus commodè, quàm si in ipsa Provincia versareris, contemplari possis, eo animo accipe, quo tibi offeruntur: spero etiam futurum, Deo annuente, ut aliquid adhuc aliud hujus farinae accipias.

Exem-



EXEMPLAR CAESARIS rei Privilegij.

RUDOLPHVS II. Divina favente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, Germania, Hungaria, Bohemia, Dalmatia, Croatia, Sclavonia, &c. Rex, Archidux Austria, Dux Burgundia, Styria, Carinthia, Carniola, Wirtembergæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Recognoscimus & notum facimus tenore presentium universis, nobis & Imperio dilectum Theodoricum de Bry civem Francofurti ad Mœnum, humiliter nobis exponendum curasse, quod magna cura & magnis sumptibus Incolarum Americæ habitus, ritus & mores in aeneas tabulas incidit, quod opus libenter in lucem emittere cuperet, demisse etiam supplicasse (quod quidem nemini id adversum, sed multis gratum futurum sit, magniq; in eam rem sumptus sint ipsi faciendi) ut Casareo nostro privilegio eum munire clementer dignemur, ne cuiquam alteri, qui suum commodum cum ipsius summo detrimento querit, aeneas istas tabulas aut icones vel hoc opus imitari aut exprimere liceat. Nos illius humilibus precibus annuentes, ex certa nostræ Casaræ Maiestatis scientia & auctoritate hanc gratiam & privilegium prædicto Theodorico de Bry concedimus, ut prædictos typos & icones in lucem edat, & ne intra quadriennium ab huius privilegii concessione supputandum, quispiam, quicumque tandem ille sit, istas icones ad imitationem excudat, aut sic impressas invehat, importet, aut vendat. Quapropter inhibemus singulis nostris & sacri Imperii subditis & fidelibus, cuiuscunque dignitatis, status & conditionis sint, præsertim autem omnibus Typographis, bibliopolis, aliisque librariam negociationem exercentibus, nisi nostram indignationem & gravem pœnam incurrere velint, & vetamus, ne quis eorum, aut alius eorum nomine, prædictas aeneas tabulas & icones quas sæpe memoratus Theodoricus de Bry excudet, intra dictum quadriennium ad imitationem imprimat, aut sic impressas circumvehat, venales proponat aut quoquo modo distribuatur, aliosve id facere permittat, sub pœna nostræ indignationis & amissionis singulorum exemplarium dictæ impressionis, quæ sæpèdictus Theodorus de Bry, ubicumque locorum nactus fuerit, per se, vel suos, propria auctoritate & sine impedimento sibi vendicare, atque illis pro suo arbitrio uti poterit, libere, & sine detrimento. Debet tamen sæpe præfatus Theodoricus de Bry, nisi hac nostræ gratia & privilegio privari velit, tria præfata impressionis exemplaria propriis impensis ad nostram Imperialem Cancellariam transmittere. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum & sigilli nostri impressione munitarum, Datum in nostra Regia arce Pragæ, vigesima quarta Martii, Anno Domini Millesimo quingentesimo & nonagesimo, Regnorum nostrorum Romani decimoquinto, Hungarici decimo octavo, & Bohemici etiam decimoquinto.

Rudolphus.

Iacob Kurz von
Senfftenau.

Ad mandatum sacræ Cæs^æ
Ma^{ti}s proprium

A. Erstenberger.

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or date, which is mostly illegible due to fading.

Main body of handwritten text, consisting of several lines of cursive script that are extremely faded and difficult to decipher.

Handwritten text located in the lower-left quadrant of the page.

Handwritten text located in the lower-right quadrant of the page.

Handwritten text located at the bottom left of the page.

A small handwritten mark or signature at the bottom center of the page.





FLORIDAE AMERICAE PROVINCIAE
 Recens & exactissima descriptio
 Auctore Iacobo le Meyne cui co-
 gnomen de Morgues, qui Laudo-
 nierum, Alera Gallorum in eam
 Provinciam Navigatione comitat-
 est, Atque adhibus aliquot militibus
 Ob pericula Regionis illius interi-
 ora & Marina diligentissime
 Lustravit, & Exactissime denuci-
 est, Observata etiam singulorum
 Fluminum inter se distantia, ut ipse
 met redox Carolo IX Galliarum
 Regi, demonstravit

*Lacus magnus est hic lacus
 ut ex una ripa conspici altera
 non possit. Distat a Charle-
 fort 180 leucis.*

Hæc maris pars plena est Insulis, scopulis, brevibus et pulvis valde infidiosis.

Mexicani Sinus pars



35
34
33
32
31
30
29
28
27
26
25
24
23
22
21
20

RPJCH



GALLORVM
IN FLORIDAM
AMERICAE PROVINCIAM
ALTERA NAVIGATIO, DVCE
LAVDONNIERO, ANNO
M D LXIV.

ANTÈ quàm hujus Historiolæ Narrationem exordiar, operæ-pretium esse duxi Provinciæ Floridæ brevem Descriptionem prius dare, & de Indigenarum natura & moribus aliquid præfari, ut Lectores facilius quæ in ea continentur, intelligere possint.

ORBIS Quarta pars, quam hodie Americam, sive Occidentalem Indiam appellamus, Veteribus incognita fuit, propter nimiam distantiam: quinimo omnes Occidentis Insulæ, & eæ quæ Fortunatæ dicuntur, solummodo à recentioribus fuerunt inventæ: licet nonnulli affirmare voluerint Cæsaris Augusti ætate cognitæ fuisse, atque Virgilium id innuere Æneidos vi. his verbis:

--- jacet extra sidera tellus,

Extra anni, Solisque vias, ubi califer Atlas

Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

Facile tamen judicari potest, de hac orbis parte non intellexisse, cùm nemo ejus ætate de ea scripserit; neque etiam mille post eum annis.

Christophorus Colonus primus omnium in hanc terram appulit anno Salutis humanæ quadringentesimo nonagesimo secundo supra millesimum; & quinto post anno Americus, ex Regis Castellæ mandato eò profectus, ex suo nomine Americam nuncupavit, quod nomen postea retinuit. Feliciter versatus is erat in Astronomia, & navigationis peritus: itaque multas provincias veteribus Geographis incognitas observavit. Vocatur à nonnullis *Brasilia*, & *Terra Papagalli*: patet auctore Postello à polo ad polum, excepto Fretto Magellanico, ubi desinit, quinquaginta duobus gradibus ultra Æquatorem.

Eam porrò facilioris intelligentiæ causa in tres primarias partes dividam. Quæ ad polum Arcticum sive Septentrionem vergit *Nova Francica* appella-

tur, quia anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto, *Ioannes Verrazanus Florentinus* missus à Rege *Francisco I.* & Matre ipsius Regno Præfectæ, in novum orbem, totum littus illud marinum observavit, quod à Tropico Cancriferæ, scilicet à vigesimo octavo gradu usque ad quinquagesimum protenditur, atque etiam ulterius versus Septentrionem: & Regis insignia fixit: sic ut Hispani ipsi, qui postea eò appulerunt, illam Americae partem, Terram Francicam nominarint. Latitudo autem ejus est à vigesimo quinto gradu, ad quinquagesimum quartum ad Septentrionem: longitudo verò, à ducentesimo octuagesimo ad trecentessimum trigessimum. Orientalis ejus pars à recentioribus *Norumbega* dicitur, ad sinum usque *Gamas* extensa, quo à *Canada* (ad quam *Robertvallis* & *Jacobus Carterius* pervenerunt anno millesimo quingentesimo tricesimo quinto) discreta est. Circa hanc multæ sunt insulæ, & inter eas *Terra de Labrador* nuncupata ad *Gronelandiam* tendens. Occidentalis pars multas Provincias jam cognitatas continet, quales sunt *Quivira*, *Cervola*, *Astatlan*, & *Tetlichichimichi*. Meridionalis, *Florida* appellatur, quia Palmarum die, quem Galli *Floridum Pascha* vocant, fuit observata. Borealis pars plane est incognita.

America pars altera *Hispania nova* nuncupatur: incipit à Tropico Cancriferæ, videlicet vicesimo quinto gradu ad nonum. In ea sita est *Themistitan*, multasque continet Provincias, & insulas adjacentes, ut quas nominant *Antillas*, quarum primariæ & magis celebres *Hispaniola* & *Isabella*, & aliæ innumeræ. Totius hujus partis longitudo, comprehensis etiam Mexicano sinu & omnibus supradictis insulis, est septuaginta duntaxat graduum, à ducentesimo videlicet & quadragesimo quinto, usque ad trecentessimum & decimum quintum: longa igitur & arcta est *Italia* modo.

Tertia *America* pars *Peru* dicitur: ampla est admodum, ejusque altitudo est à decimo gradu cis *Æquatorem* ad quinquagesimum secundum trans *Æquatorem*; nempe ad fretum usque *Magellanicum*. Forma ejus ovalis, undique admodum cognita: qua magis in latitudinem patet sexaginta gradus continet, inde ad utrumque extremum paulatim gracilescit. In quadam ejus parte, videlicet sub Tropico Capricorni, habitavit *Villagagnonus*, & eam *Franciam Antarcticam* appellavit, quoniam ad polum *Antarcticum* tendit, ut *Europa* ad *Arcticum*.

Nova Francia ejusdem fere amplitudinis cum nostra *Europa*: ejus tamen pars magis cognita & culta, est *Florida*; ad quam multi Galli variis navigationibus pervenerunt: cultissima igitur est totius *Novæ Franciæ* Provincia. Ejus Promontorium centum leucis in mare protenditur, atque ad Septentrionem vergit. Ex adverso habet viginti quinque leucis distantem insulam *Cubam*, quæ alio nomine *Isabella* dicitur: ad Orientem *Bahamam*, & *Lucaiam*: ad Occidentem Mexicanum sinum. Plana est regio, multis fluminibus secta, eam ob causam humidior & arenosa in maritimis. Istic nascitur magna Pinorum quantitas, quorum strobili nucleis carent. Nascuntur quercus, Iuglandes, sylvestria cerasa, Mora, Lentisci, Castaneæ, Gallicis tamen magis sylvestres, frequentes cedri,

cedri, cupressi, lauri, palmae, aquifoliae, & vites sylvestres, vicinas arbores scandentes, & edulas uvas proferentes. Mespilorum item genus, quorum fructus Gallicis praestantior & crassior est; sunt etiam istic pruna fructu eleganti, sed non admodum grati saporis: Rubus item Idæus, & exigui quidam fructus palato valde grati, quos Galli *Bleues* (Germanorum *Heydelbeer* forte) appellant. Crescunt etiam radices eorum lingua *Hatle* dictae, è quarum farina in annonae penuria fit panis.

Quadrupedes istic vulgatiores sunt Cervi, Cervæ, Hinnuli, Damæ, Vrsi, Leopardi, Lupicervarii, Lynces, Luponum varia genera, sylvestres canes, Lepores, Cuniculi, Aves, Gallo-pavones, Perdices, Pittaci, Columbæ, Palumbes, Turtures, Merulæ, Cornices, Accipitres, Falcones, Æfalones, Ardeæ, Grues, Ciconiæ, Anseres sylvestres, Anates, Corvi aquatici, Ardeolæ albæ, rubræ, nigræ, & cinereæ, & aquaticæ aliæ quamplurimæ. Tanta est Crocodilorum frequentia, ut homines natantes sæpenumero ab illis appetantur, serpentum varia genera, & animalis quoddam genus non multum ab Africanis leonibus diversum. Auri & argenti, quibus inter se commercia exercent, copia apud eos invenitur, quam, ut ab ipsis intellexi, ex navium quæ ad littora alliduntur naufragio adipiscuntur: & facile ita se rem habere mihi persuadeo, quia circa Promontorium, ubi maxima ex parte naves pereunt, plus est argenti quam in ora Septentrionali. Asserunt tamen in montibus *Apalatyæris* (quod aurum esse existimo) venas esse. Crescit istic etiam radix Chinæ, ad veneream luem curandam valde accommoda: atque innumera semina & herbæ, è quibus colores varii & elegantes ad tingendum & pingendum utiles fieri possent. Indigenæ certè iis uti norunt ad pelles variis coloribus inficiendas: luridi & fædi coloris sunt, eleganti tamen corporis symmetria præditi, magni, & nervosi, Obscenas partes tegunt cervina pelle eleganter parata. Maxima illorum pars corpus, brachia, femora pingit elegantibus & concinnis figuris, quarum color numquam obliteratur: in ipsa enim cute sunt impressæ notæ sive puncturæ. Nigros habent capillos, & ad coxendices usque promissos: in nodum tamen satis concinnè colligere solent. Summi sunt dissimulatores & infidi, strenui tamen & pugnaces, nec alia habent, præter arcum & sagittas, arma. Arcus nervum ex cervino intestino aut corio adeo concinnè parare norunt, ut Galli melius non possint, & variis coloribus inficiunt; pro mucrone sagittarum sunt piscium dentes & lapides affabrè adaptati. Adolescentes cursu, sagittarum missione, & pilæ ludo exercentur, ut in figura 36. expressum & declaratum est. Venatione & piscatione magnoperè delectantur. Reges bella inter se gerunt assidua fere, nullique viro hosti, quem capere possint, parcunt; deinde caput adimunt, ut cutem cum capillis habeant, qua domum reversi trophæum statuunt, feminis & infantibus parcunt, perpetuoque apud se retinent & educant. Domum ex bello reversi, omnes suos subditos convocant, & præ gaudio tres cōtinuos dies ac totidem noctes genio indulgent, saltant, & canunt. Totius sui dominii vetulas capillos hostium manu tenentes saltare compellunt, atque saltando laudes Soli accinere, ipsi victoriam, ex hostibus relatam, acceptam ferentes. Nul-

Consule figur. 41.

Consule figur. 11.

Fig. 36.

Consule figur. 15. & 16.

lam Dei habent notitiam, neque ullam religionem: quod illis conspicuum est, veluti Sol & Luna, illis Deus est. Sacrificos habent quibus valde fidunt: magni enim sunt magi, arioli, & daemonum invocatores. Funguntur etiam ii sacrifici Medicorum & Chirurgorum munere; ejus rei causa semper circumferunt faccum herbis & medicamentis plenum, ad aegros curandos, qui plerumque venerea lue laborant: nam feminarum & virginum, quas Solis filias nuncupant, amoribus sunt admodum dediti; inter illos tamen etiam nonnulli sodomita. Singuli singulas habent uxores, Regibus autem binas aut ternas habere permillum: sola tamen primum ducta colitur, & pro Regina agnoscitur; quin & soli hujus primariae liberi, in paternam haereditatem atque auctoritatem succedunt. Feminae omnem rem domesticam curant: cum sunt gravidae, viri earum consuetudinem fugiunt, neque ulla re vescuntur, quam illae menstruis laborantes attigerint. Abundat tota ea regio Hermaphroditis, qui omnes pene labores ferre coguntur: imo etiam annonam viris ad bellum proficiscentibus gestare solent. Faciem illi pingunt, & crines tenuioribus atque delicatioribus avium plumis sive villis implent, ut eò terribiliores appareant. Annona sunt panis, mel, farina ex mayzo tosto & ustulato confecta; sic enim paratum diutius incorruptum permanet. Interdum etiam pisces fumo exsiccatos gestant. In annonae penuria varias sordes deglutiunt, etiam carbones & arenam in jam dictae farinae pulvem ingerentes. Illis ad bellum proficiscentibus, Rex primum obtinet locum manu baculum tenens, altera arcum, pendente ex humeris pharetra sagittis plena. Reliqui eum sequuntur arcu & sagittis armati. In pugna magnos clamores edunt. Nihil molitur, quin prius aliquoties concilium cogant, & de singulis egregie deliberant ante quam quidquam statuunt. Singulis diebus mane conveniunt, ut in icone 29. declaratum & expressum est. Mortuus Rex eadem ratione sepelitur, quae describitur & exprimitur figura 40. Bis singulis annis Mayzum ferunt, Martio videlicet & Junio, atque id eodem loco. Tertio a satione mense, maturum colligitur. Reliquis sex mensibus tellus inculta manet. Elegantes etiam illas cucurbitas, quae *citrulli* vulgo appellantur, & optimas fabas colunt. Terram non stercorant; sed ferere volentes, ignem plantis, per sex illos menses, quibus terra quievit, sponte enatis, duntaxat inijciunt, easque adurunt. Terram fodiunt ligneo instrumento ligonis in modum fabrefacto, quo Gallica vineta coluntur: binaque semper mayzi grana simul inijciunt. Sementem facere volentibus, Rex alicui e suis imperat, omnes suos subditos singulis diebus convocet ad telluris culturam: interea Rex magnam potionis illius, cujus in figura 29. facta est mentio, quantitatem parare jubet, quae operis praebetur. Collectum mayzum in publicas aedes infertur, ubi in singulos, pro eorum dignitate, distribuitur. Tantum vero duntaxat ferunt, idque satis parce, quantum in sex menses suffecturum existimant; nam singulis annis hieme in sylvas secedunt, isticque tres aut quatuor menses haerent in tuguriolis ex palmarum ramis paratis, glande interea victitantes; piscibus quos capiunt, ostreis, cervorum quos venantur carnibus, Gallopavonibus & aliis animalibus. Omnia eorum edulia supra carbones ustulata sunt, hoc est, fumo

Consule fig.
37. & 38.

Expresse
fig. 17.

Fig. 29.

Fig. 40.

Vide fig. 21

Consule fig.
22.

Fig. 24.

Amicus Hilari

Faint, mostly illegible text in a medieval script, possibly Latin or Old French, arranged in a single column. The text appears to be a letter or a treatise section, with some words and phrases being more legible than others. The script is dense and characteristic of the late Middle Ages.

Vertical text on the right side of the page, likely a marginal note or a list of references. It is also mostly illegible due to fading and the angle of the page.



lam Dei habent notitiam, neque ullam religionem: quod illis conspicuum est, veluti Sol & Luna, illis Deus est. Sacrificos habent quibus valde fidunt: magni enim sunt magi, arioli, & dæmonum invocatores. Funguntur etiam ii sacrifici Medicorum & Chirurgorum munere; ejus rei causa semper circumferunt faccum herbis & medicamentis plenum, ad ægros curandos, qui plerumque venerea lue laborant: nam feminarum & virginum, quas Solis filias nuncupant, amoribus sunt admodum dediti; inter illos tamen etiam nonnulli sodomitæ. Singuli singulas habent uxores, Regibus autem binas aut ternas habere permissum: sola tamen primùm ducta colitur, & pro Regina agnoscitur; quin & soli hujus primariæ liberi, in paternam hæreditatem atque auctoritatem succedunt. Femina omnem rem domesticam curant: cum sunt gravida, viri earum consuetudinem fugiunt, neque ulla re vescuntur, quam illæ menstruis laborantes attigerint. Abundat tota ea regio Hermaphroditis, qui omnes pene labores ferre coguntur: imo etiam annonam viris ad bellum proficiscentibus gestare solent. Faciem illi pingunt, & crines tenuioribus atque delicatioribus avium plumis sive villis implent, ut eò terribiliores appareant. Annona sunt panis, mel, farina ex mayzò tosto & ustulato confecta; sic enim paratum diutius incorruptum permanet. Interdum etiam pisces fumo exsiccatos gestant. In annonæ penuria varias sordes deglutiunt, etiam carbones & arenam in jam dictæ farina pulvem ingerentes. Illis ad bellum proficiscentibus, Rex primùm obtinet locum manu baculum tenens, altera arcum, pendente ex humeris pharetra sagittis plena. Reliqui eum sequuntur arcu & sagittis armati. In pugna magnos clamores edunt. Nihil moliuntur, quin prius aliquoties concilium cogant, & de singulis egregiè deliberant ante quam quidquam statuant. Singulis diebus mane conveniunt, ut in icone 29. declaratum & expressum est. Mortuus Rex eadem ratione sepelitur, quæ describitur & exprimitur figura 40. Bis singulis annis Mayzum ferunt, Martio videlicet & Junio, atque id eodem loco. Tertio à satione mense, maturum colligitur. Reliquis sex mensibus tellus inculta manet. Elegantes etiam illas cucurbitas, quæ *citrulli* vulgo appellantur, & optimas fabas colunt. Terram non stercoreant, sed ferere volentes, ignem plantis, per sex illos menses, quibus terra quievit, spòte enatis, duntaxat injiciunt, easque adurunt. Terram fodiunt ligneo instrumento ligonis in modum fabrefacto, quo Gallica vineta coluntur: binaque semper mayzi grana simul injiciunt. Sementem facere volentibus, Rex alicui è suis imperat, omnes suos subditos singulis diebus convocet ad telluris culturam: interea Rex magnam potionis illius, cujus in figura 29. facta est mentio, quantitatem parare jubet, quæ operis præbeatur. Collectum mayzum in publicas ædes infertur, ubi in singulos, pro eorum dignitate, distribuitur. Tanrum verò duntaxat ferunt, idque satis parcè, quantum in sex menses suffecturum existimant; nam singulis annis hieme in sylvas secedunt, isticque tres aut quatuor menses hærent in tuguriolis ex palmarum ramis paratis, glande interea victitantes; piscibus quos capiunt, ostreis, cervorum quos venantur carnibus, Gallopavonibus & aliis animalibus. Omnia eorum edulia supra carbones ustulata sunt, hoc est, fumo

Consule fig.
37. & 38.

Expressi
fig. 17.

Fig. 29.

Fig. 40.

Vide fig. 21

Consule fig.
27. & 22.

Fig. 24.

Secunda pars.

5

fumo quodammodo cocta & indurata. Libenter vescuntur Crocodilorum carne, quæ profecto candida & nitida est, eamque sæpius edissemus, nisi moschum nimium redolere nobis visa fuisset. Invaluit apud eos consuetudo, ut si quis ægritudine corripiatur, venæ sectionis, apud nos usitæ, loco, æger loco ubi dolorem sentit, ab ipsorum medicis sugatur, donec sanguinem eliciant. *Fig. 20.* Grandes etiam sunt feminæ, & alacres, ejusdem cum viris coloris, quemadmodum & viri pictæ: recens tamen natæ, non sunt adeo luridæ, sed multo candidiores. Nam potissimum conciliatur is color olei cujusdam, magni inter eos usus, inunctione, ob certos quosdam ritus, quos intelligere non potui, tum etiam Solis, qui eorum corpora exposita, sunt ardoribus. Feminarum tanta est agilitas, ut magna etiam flumina natando superare possint, licet liberos altero brachio sustineant: imo in altissimas totius regionis arbores conscendendo evadunt.


Cæterum ad Historiæ contextum nunc veniamus.

2 3



Secundus pars.

Faint, illegible text in a Gothic script, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Additional faint, illegible text in Gothic script, continuing from the top section or as bleed-through.

Secunda pars.

5

fumo quodammodo cocta & indurata. Libenter vescuntur Crocodilorum carne, quæ profecto candida & nitida est, eamque sæpius edissemus, nisi moschum nimium redolere nobis visa fuisset. Invaluit apud eos consuetudo, ut si quis ægritudine corripiatur, venæ sectionis, apud nos usitata, loco, æger loco ubi dolorem sentit, ab ipsorum medicis fugatur, donec sanguinem eliciant. *Fig. 26.* Grandes etiam sunt feminae, & alacres, ejusdem cum viris coloris, quemadmodum & viri pictæ: recens tamen natæ, non sunt adeo luride, sed multo candidiores. Nam potissimum conciliatur is color olei cujusdam, magni inter eos usus, inunctione, ob certos quosdam ritus, quos intelligere non potui, tum etiam Solis, qui eorum corpora exposita, sunt ardoribus. Feminarum tanta est agilitas, ut magna etiam flumina natando superare possint, licet liberos altero brachio sustineant: imo in altissimas totius regionis arbores conscendendo evadunt.

Cæterum ad Historiæ contextum nunc veniamus.

a 3



NARRATIO.



ADMONITVS ab Admirallio Castilionæo CAROLVS IX. Galliarum Rex, nimium procrastinari auxilia, quæ paucis iis Gallis, in Florida ad obsequium ipsi Regi præstandum à Ioanne Ribaldo relictis, mitti debebant; Admirallium naves ad eam rem necessarias expedire iussit. Commendat interea Regi Admirallius nobilem virum Renatum de Laudonniere, aulæ suæ familiarum, virum sane multarum rerum peritum, verum nõ tam artis militaris scientia atque usu præditum quàm rerum nauticarum: hunc Rex sui Legati sive Locum-tenentis titulo insigniit; atque in eam expeditionem nummorum Francorum centum millia numerari curavit. Admirallius omni virtutum genere præditus, & Christiana pietate insignis, cupiens Regia negotia fideliter administrari, Laudonnierum sui officii admonet, atque ut cum omni fide munere suo fungatur, hortatur; in primis autem viros deligat idoneos, atq; Deum metuentes, suæ profectiois comites, quandoquidem eam Religionem profiteretur. Iubet præterea conquirere quotquot possit homines in omnibus artibus egregiè versatos: quod ut facilius consequatur, datum illi diploma regio sigillo obsignatum.

Laudonnierus igitur ad Gratianum portum, Gallis *Hable de Grace* dictum, proficiscitur, naves instrui curat, & summa diligentia viros rerum peritos (ut ipsi imperatum) per universum regnum conquirat, adeo ut serio affirmare possim, advenisse ad illam navigationem suscipiendam, viros in omnibus artibus egregiè versatos: his sese adjunxerunt plerique nobiles & antiquæ familiæ adolescentes, desiderio quodam solummodo ducti exteras regiones lustrandi, nam nullo stipendio, sed propriis sumtibus eam navigationem susceperunt. Milites ex veteranis delecti, adeo ut nullus inter eos esset, qui ordines ducere non mereretur. Accersiti sunt Diepa bini Naucleri nostræ ætatis nobilissimi, Michaël le Vasseur, & Tribunus Thomas le Vasseur ejus frater, uterque Regis stipendiarius in Classe Regia: his ut me adjungerem, & ad Laudonnierum proficiscerer imperatum. Advenientes ille humaniter & cum magnificis pollicitationibus excepit; verum non ignarus aulicos homines liberaliter promittere solere, ipsius mentem intelligere volui, & cujus rei gratia Rex, ut ipse dicebat, meo obsequio uti vellet. Tum ille polliceri, mihi nullum obsequium nisi liberum imperandum; duntaxat meum munus futurum, cum in Indiam perveniremus, ut maritimæ oræ delineationem conficerem, urbium situm, fluminum altitudinem & cursum observarem: præterea portus, Incolarum domicilia, & quidquid singulare in ea Provincia esset. Quod qua potui fide, præstiti, uti ab Hispanorum insigni perfidia & atroci crudelitate liber, & in Galliam redux suæ Majestati demonstravi.

Vicesima secunda porrò Aprilis anno 1564. tres nostræ naves explicatis velis è Gratiano portu solverunt, recta ad Fortunatas insulas, quas nauticum genus Canarias appellare solet, tendentes; deinde Tropico vicini, ad Antillas insulas

insulas pervenimus, in quarum una, Dominica nuncupata, recentem aquam hausimus, duobus tamen è nostris desideratis. Ulterius progressi, ad Floridae, quam *Novam Franciam* appellant, maritimam oram, die Iovis vicesima secunda Iunii subsequēntis appulimus.

Laudonnierus observato flumine, cui Ribaldus Maii cognomen dederat, maximè commodo ad naves admittendas, & in quo propugnaculum extrui posset, omnem diligentiam adhibuit ut id effectum redderet: atque navium maximam, cui nomen Elizabeth à Honfleur, & Ioannes Lucas præerat, in Galliam remisit. Interea tota ora maritima obsita erat immensa virorum & mulierum ignes excitantium frequentia, ut merito nobis ab ipsis cavendum existimaremus: paulatim tamen animadvertimus, eos minimè nobis nocere voluisse: quandoquidem multa amicitiae & favoris indicia demonstrarunt, rapti quodammodo in admirationem, cum nostra corpora à suis mollitie & teneritate differre conspicerent, & vestes quibus tegebamur inusitatas: eæ verò merces, quas à novis istis negotiatoribus accipiebamus, magna ex parte consistabant ex rebus, quæ ab illis maximè æstimantur, nempe quæcumque ad humani corporis alimentum & conservationem spectant, ut mayzi grana tosta, aut in farinam redacta, aut ejus integras spicas; præterea lacertos & silvestria animalia ustulata, quæ illis sunt deliciae, tum varii generis radices, quarum nonnullæ edules, aliæ ad medicum usum utiles. Denique cum animadvertenterent Gallis magis placere metalla & lapides, nonnulli etiam ea attulerunt. Porrò Laudonnierus agnoscens nostrorum cupiditatem, vetuit capitis pœna constituta, ne quod commercium cum Indis aut commutatio fieret auri, argenti, aut lapillorum, quin omne in communem usum conferretur.

Interea plerique Reguli nostrum Præfectum adierunt, & significarunt, se potentis cujusdam Regis, cui nomen *Saturioua*, subditos esse, in cujus ditio- ne essemus, cujusque domicilium nobis esset vicinum, qui in bellum ad aliquot hominum millia educere posset; ea de causa nostri propugnaculi fabricam accelerandam duximus. Isque adeo Rex *Saturioua*, ut providus, singulis diebus exploratores mittebat observatum quid ageremus; atque ab illis intelligens terram, ad quorundam funiculorum in triangulum extensorum normam, effodi, ipsemet spectatum venire voluit: binis tamen ante suum adventum horis legatum præmisit, cum centum & viginti viris robustis, arcus, sagittas, clavas & jacula gestantibus, & onustis more Indico, suis divitiis, ut varii generis pennis, torquibus ex selecto concharum genere, armillis è piscium dentibus, cingulis è sphaerulis argenteis oblongæ & rotundæ formæ constantibus, atque multis unionibus ad crura alligatis; sed & plerique è cruribus suspenderant planos orbes cum aureos, tum argenteos & æreos, ut gradiendo sonitum excitarent instar nollarum ad crura appensarum. Legatus suo munere perfunctus, secundum colliculum quendam è palmarum, lauri, lentisci & aliarum odoriferarum arborum ramis tabernacula extrui iussit, ad Regem sub tectum recipiendum. Cæterum ex eo colliculo poterat Rex videre quidquid intra nostrum vallum fieret, & pauca tentoria, militumque impedimenta, quæ sub tectum nondum

inferri potuerant: quia propugnaculi structuram absolvere praestabat, quam extruendis tuguriis operam dare, quae maiore deinde cum ocio aedificari poterant.

Laudonnierus audita legatione suos ita disponit, ut (si pugnandum foret) strenue rem gesturos confideret, tametsi sclopetarii nihil haberent quo se regere possent. Porro quia in prima Navigatione, cum Ribaldus in eundem locum appelleret, Laudonnierus eundem Regem viderat, & quaedam vocabula illius idiomatis didicerat, quibusque ceremoniis excipi soleant, callebat; ut etiam e numero militum unus vir alacris & acris ingenii, qui Ribaldum in ea navigatione comitatus fuerat; tunc autem Centurio erat Laudonnieri, censuit neminem ad Regis tabernacula accedere debere praeter ipsum, Dn. d' Ottigny ipsius Legatum, & Centurionem la Caille.

Regem comitabantur septingenti vel octingenti viri venusti, validi & robusti, agiles, & ad cursum maxime exercitati, sua arma gestantes, ut ad bellum profecturi solent; ante ipsum gradiebantur quinquaginta adolescentes, manu jaculum aut pilum tenentes: ipsi viciniore erant viginti tibicines, silvestre quidpiam sine harmonia vel concentu sonantes, sed duntaxat qua maxime poterant contentione tibias inflantes; quae nihil aliud sunt quam harundines admodum crassae, bina foramina habentes, supernum qua inflant, & infernum qua flatus egreditur, ut in organorum tubulis sive fistulis. Dextrum ipsius latus claudebat Necromanticus, sinistrum primarius ejus Consiliarius: sine his enim duobus nullam rem aggreditur. Solus locum ingressus qui paratus fuerat, confedit Indico more, hoc est summa tellure, simiae aut alterius animalis instar. Tu conjectis circumqua; oculis, & observatis nostris exiguis turmis ordine dispositis, in suum tabernaculum accersi iussit. Laudonnierum & Ottignium ejus Legatum, atque ad illos longam orationem habuit, quam nisi ex parte intellexerunt; sed tandem percontatus est, quinam essemus, cur potius ipsius dominium ingressi, quam ullius alterius, & quodnam esset nostrum institutum. Et respondit Laudonnierus per Centurionem Caillium, quem supra diximus utcumque callere ejus regionis idioma, se a potentissimo quodam Rege missum, qui Franciae Rex appellaretur; ut ipsum ad foedus cum eo paciscendum invitaret, quo ipsi & ipsius confederatis amicus esset, ipsius vero hostibus hostis: quod illi admodum gratum fuit. Tum munera utrinque in amicitiae & perpetui foederis pignus data. His rebus ita peractis, Rex propius ad nos accessit, nostraque arma admiratus est, praesertim pyxides tormentarias; ad nostri propugnaculi fossas usque progressus, illud foris & intus emensus est. e fossa autem terram exportari & vallum instrui conspiciens, interrogavit in quem usum ista fierent. Responsum tulit, aedes extrui quae nos omnes exciperent, atque in iis multa tuguria aedificanda; quod admiratus, inquit se cupere, ut brevi istae aedes absolverentur. Eam ob causam a nostris rogatus, ut aliquot e suis nobis commodaret, qui nostris instruendo auxilio essent. annuit, & ilico octoginta robustissimos & laboribus assuetos misit, quorum opera magnopere levati sumus, nostrumque propugnaculum citius extractum, & tuguria absoluta; ille vero a nobis discessit.

Dum

Dum hæc geruntur, nemo ex nostris non admovebat manum operi, nobiles, milites, opifices, nautæ & alii, ut se adversus hostem munirent, & contra aëris injurias tuerentur, singuli sibi pollicentes (facta ex his quæ donata & permutatione adquirentes fuerant æstimatione) brevi se locupletes futuros.

Laudonnierus extructa jam arce, ipsiusque ædibus, & magno illo ædificio, in quod convecta annona, & reliqua ad bellum necessaria, absolutis, singulorum in cibo & potu mensuram contrahere cœpit, sic ut post tres hebdomadas, singulis in diem unum vitrum sicera dimidia ex parte aqua diluta plenum daretur: quod ad cibos attinet, quorum in novo hoc orbe spes facta, ne gry quidem, ac nisi incolæ singulis diebus nobis suos cibos communicassent, non dubium est quin nostrum aliqui fame periissent; ij præsertim qui in venationibus pyxide tormentaria uti non norant.

Interea Laudonnierus suo Fabrorum præfecto *Joanni des Hayes Diepensi* mandat, ut bina navigiola conficiat, quorum carina, quantum memini, trigintaquinque vel quadraginta pedes longa esset, quibus altius flumina subire, atque secundum maris littus navigare posset: hæc satis brevi temporis spatio propemodum confecta reddidit.

Caterum Nobiles viri, qui animi solum gratia in hunc novum orbem trajecerant ex Gallia, magna cum pompa instructi, mirum in modum angebantur, conspicientes se nihil eorum istuc invenire, quæ sibi polliciti erant, & animo conceperant, sic ut multorum cottidie exaudirentur querimoniam. Altera ex parte Laudonnierus nimium facilis, plane possidebatur à tribus aut quatuor gnatonibus, atque milites contemnebat, eos præsertim quos in precio habere debebat: quodque pejus est, multum ipsi indignabantur plerique ex his, qui secundum puriorem Evangelii doctrinam vivere se velle profitebantur, quod verbi divini Ministro destituerentur. Verum ad Regem *Saturionia* revertamur.

Is legatos ad Laudonnierum mittit, non modo ad confirmandum fœdus inter ipsos initum, verum etiam ut pacta fœdera servaret, videlicet ut se amicorum ipsius amicum & hostium hostem re ipsa declararet: protectionem enim se adversus suos hostes institueret. Laudonnierus satis ambiguum Legatis responsum dedit, hac occasione: compertum enim jam nobis erat ex longa navigatione per majorem fluminis *Maii* alveum, nostri vicini *Saturionia* hostem ipso longè esse potentiorum, imo illius amicitiam nobis esse necessariam, quia ex nostra arce ad mōtes *Apalatcy* proficisci volentibus (hos autem montes invenire cupiebamus, quod auri atque argenti à nobis redempti maximam partem inde advectam esse intelligebamus) itineris potior pars per ejus ditio-nem erat facienda: huc accedebat ex nostris aliquos apud eum esse, qui ad nostram arcem magnum auri & argenti pondus jam miserant, fœdus cum illo pangentes, cum Laudonniero mandatum esset, ut iisdem conditionibus, quibus supra, cum magno Rege *Outina* fœdus iniret.

Rex *Saturionia* accepto adeo frigido responso, ad nostrum propugnaculum, cui nomen *Carolina* inditum, ipsemet advenit cum mille ducentis aut

quingentis viris, atque admiratus locum adeo esse immutatum, ut fossam amplius transilire non posset, sed angustum admodum esse ad arcem aditum, eò se contulit, atque Centurionem invenit Caillum, qui illi Regii Legati nomine denuntiavit, colloquii gratia, arcem non licere ingredi nisi suis ablegatis, vel cum viginti duntaxat delectis. Is attonitus illo mandato, dissimulat, atque cum viginti ex suis arcem ingreditur: ingresso omnia demonstrantur: Tympanorum verò & tubarum strepitu, atq; æneorum tormentorum, quæ ipso præsentente explosa fuerunt, tonitruo exterrito admodum, nunciatur omnes suos nimio metu diffugisse, quod illi credibile fuit: quandoquidem ipse procul à nobis esse voluisset. Inde factum, ut nostrum nomen per vicinas provincias esset valde celebre, & majora verò de nobis crederentur. Tandem Laudonnierum admonet fidei datae, suum exercitum jam esse paratum ad profectioem, annonam in promptu esse, subditos Reges etiam advenisse: sed cum nihil obtinere posset, solus cum suis in istam expeditionem profectus est.

Dum hæc geruntur, Laudonnierus alteram navem, cui præerat Petrus Centurio, in Galliam remittit. Nunc Lectorem rogatum volo ut secum reputet, quàm multi aspirarent ad reditum in patriam. Inter reliquos Nobilis adolescens Marillac nomine, adeo abitum expetebat, ut Laudonniero polliceretur (si ipsi litterarum fasciculum in Galliam deferendum traderet) indicaturum se quæ ad ejus vitam & nominis famam maximè pertinerent; ea tamen conditione ne aperiret, ante quam navem conscenderet, Laudonnierus nimium credulus ipsi pollicetur.

Iam dies aderat quo Navis solvere debebat, nobilis quidam cui nomen Dn. de Gievre ex honesta familia natus, comis, Deum metuens, & omnibus charus, quinq; aut sex horis ante quam accusatio traderetur Laudonniero, admonetur ut secedat, Marillacum enim aliquid sinistri adversus ipsum moliri: obsequitur, & in silvam se abdit, ut Laudonnieri iracundiam effugiat, cui Marillacus infames quosdam ut assererat libellos Gievraei manu scriptos tradiderat in hanc sententiam. Laudonnierum centum illa Francorum millia ipsi à Rege data malè collocasse, quandoquidem nullam annonam in hunc orbem intulisset: nullum verbi Dei ministrum (ut ab Admirallio illi imperatum) adduxisse: nimio favore amplecti blaterones & loquaculos, eos verò qui virtute præditi essent, contemnere: & pleraque alia quæ nunc non succurrunt.

Multis bonis viris molestum erat Gievraei exilium, omnes tamen musfitabant: paulatim tamen nonnulli indignè ferebant tam malignè cibum præberi, & singulos nimio & difficili labore fatigari: præsertim Nobiles quidam qui ipsorum majorem rationem habendam censebant. Tandem dum alter alteri suam molestiam exponit, clandestina ineunt consilia quinq; aut sex initio, quibus deinde alii accesserunt ad tricesimum usq; numerum ante quàm aliquid molirentur. Inter eos autem qui primi inierunt consilia, unus erat Laudonniero adprimè familiaris: certissimum etiam est selectissimos quosque milites & Nobiles consiliorum participes, à quibus reliqui persuasi, iis exceptis quos ut minus vafros contempserunt & ex suo cœtu excluserunt.

Dum

Dum commodum videtur, Centurionem Caillium adeunt, cui nondum suum consilium aperuerant, quod omnes illum nossent virum integrum, qui- que summam integritatem à singulis in muneris administratione requireret, eum obtestantur, ut, quandoquidem sit primi pili Centurio, omnium causam tuendam in se recipiat, & eorum querimonias, quas scripto comprehenderant, Laudonniero tradere non gravetur. Caillius pro suo officio operam pollicetur: & cum eum ad hanc rem conficiendam delegerint, illam Laudonniero ipsorum nomine declaraturum, licet ille etiam indignè ferre velit, imo adjunctum etiam esset ipsius vitae periculum: quia ipsorum petitionem æquam censabat. Postridie, qui fuit dies Domino sacer, mane Laudonnieri ædes adit, eum- que omnium nomine orat, ut in forum prodire velit: se enim quædam habere ipsi communicanda. Omnibus in forum convocatis, Laudonnierus cum suo Legato Ottignio advenit: facto autem silentio, Centurio Caillius huiusmodi orationem habuit:

Domine, quotquot huc convenimus, ante omnia protestamur nos te agnoscere Legatum Regis nostri Domini in hac provincia supremi, in qua ipsius nomine limes est positus, tibi- que obsequentes futuros in hac tam honesta expeditione, etiam si Majestatis ejus gratia, vita nobis sit in tuo conspectu profundenda, ut jam periculum facere potuisti in eorum magna parte qui hic adsunt, inter quos plerique sunt Nobiles viri, qui neglectis suis commoditatibus voluntariè & suis sumptibus te sequuti sunt. Primum igitur ea qua decet reverentia admonent, singulis, dum adhuc in Gallia essent, fidem datam fuisse, hinc annonam in integrum annum reperturos, atque nova subsidia recentisque copias, antequam ea absumeretur, accepturos: verum tantum abest, ut alimenta in id tempus suffecerint, ut vix ad mensem fuerint satis. Deinde Indi segnius adferre ea incipiunt; quia animadvertunt maximæ nostrorum parti merces deficere: neque enim tibi ignotum est, barbaros hos homines nihil conferre, nisi contra aliquid accipiant: tandem cum intelligent omnibus deesse munera, & milites ab illis alimenta verberibus extorquere volent (ut jam nonnulli facere cœperunt magno cum prudentiorum dolore) tum vicina loca deserent, ea- que ratione iis commodis destituemur, quibus hactenus usi sumus: quæ si adveniant, non possumus non extremam famem expectare. His igitur difficultatibus ut occurratur, te summopere orant, tertiam navem è Gallia huc advectam, atque etiamnum in hoc flumine existentem, reparare & instruere cures, cui eos viros quos idoneos judicabis imponas, atque ableges in novam Hispaniam, huic provinciæ vicinam, ad annonam pecuniis aut alia ratione comparandam, non dubitantes quin hac ratione nobis succurri possit: si tamen commodiores rationes proferantur, eas libenter amplexuros. Hæc fuit Orationis summa, quæ in eo conventu fuit habita.

Ad hæc paucis respondit Laudonnierus. Ab ipsis suarum actionum rationes non esse petendas: ad annonam quod attinet, ejus se rationem habiturum, aliquot adhuc dolia sibi superesse mercibus plena, quæ in commune conferet, ut illarum commutatione alimenta ab Indis redimi queant: in Hi-

spaniam novam ut mittat, se nunquam id effecturum, sed potius bina navigio-
la pridem inchoata daturum, ut maris littus legant ad ducenta aut treceta mi-
liaria, qua ratione eos annonam comparaturos plus quam opus esset. Sic di-
missa fuit concio.

Laudonnierus interea ablegabat quosdam qui remotiora loca observa-
rent, præsertim ea, quæ magno Regi *Outina* nostri vicini hosti proximiora e-
rant, à quo curantibus nonnullis nostris Gallis, qui apud ipsum versabantur,
multum auri & argenti in nostram arcem mittebatur, uniones præterea & alia
exquisita: sed non cuilibet concedebatur hæc provincia: quam ob causam in
invidia erant apud plerosque, qui illos brevi ditescere æstimabant. Et licet Lau-
donnierus polliceretur omnia in commune distribuenda, multi tamen iniquo
ferebant animo. Nam quidam nomine *La Roche-ferriere*, qui verbosus cum
esset, jactabat se omnium rerum scientiam habere, tali pollebat auctoritate a-
pud Laudonnierum, ut ejus consilium pro oraculo haberet: negare sane non
velim quin dotibus ingenii præditus esset, præsertim industrius erat in nova ista
conquisitione, & diu versatus cum Rege *Outina*, negotiaturque ea quæ in
arcem mittebantur, unde illi subinde remittebantur quinque aut sex sclopeta-
rii, qui permutabantur pro occasione, aut necessitate quam illorum haberent
ipse aut *Outina*. Vt brevibus absolvam, tantum voluit industria, ut amicitiam
contraheret cum hostibus *Outina*, montibus vicinis; eaque de causa Laudon-
niero scripsit, ut sibi successorem mitteret, se enim seria quædam habere ipsi
communicanda, ad Regis obsequium, omniumque honorem & utilitatem
pertinentia.

His auditis Laudonnierus *Roche-ferrierio* successorem statim mittit, &
ille ad arcem rediit, istic refert certo se rescivisse, omne aurum & argentum in ar-
cem missum, ex certis quibusdam montibus *Apalatcy* cognominatis proveni-
re, Indos enim à quibus ipse accepisset, non aliunde habuisse: nam quidquid
hactenus possederant, id omne in bello adversus tres Reges *Potanou*, *Onathe-
aqua* & *Oultaca* adquisivisse, qui potentem istum Regem *Outinam* impedi-
bant, quominus montes illos subjugare posset. Attulit præterea *Roche-ferre-
rius* illorum montium fodinæ fragmentum continens satis multum auri & æ-
ris. Petit igitur à Laudonniero facultatem discedendi, periculum enim facturum
tam longinquæ profectiois, ut speret ad tres istos reges pervenire posse, & il-
lorum aulam observare, atque impetrata à Laudonniero licentia discessit.

Profecto *Roche-ferrierio*, triginta illi, qui Demonstrationis sive supplicis
libelli supra memorati auctores fuerant, omnia turbant in arce, quam occupa-
re constiunt, ut rebus aliter provideant: atque ut commodiore ordine om-
nia procedant, duces sibi diligunt Dominum de Fourneaux insignem hy-
pocritam, & impensè avarum, Stephanum Genuensem Italum, & tertium
nomine *La Croix*, militum autem Centurionem, Vasconem quendam appel-
latum *Seignore*. Porro illi in suam sententiam pertraxerant omnes qui mune-
re fungebantur in exercitu, tribus exceptis, *Ottignio* Legato, Domino d' *Ar-
lac* nobile Helvetio, nostro signifero, & Centurione *Caillio*. Reliqui milites
adeo

adeo ab illis corrupti ut sex & sexaginta iique selectissimi & veterani subscriberent. Me etiam corrumpere tentarunt per meos quosdam intimos familiares, exhibito eorum catalogo qui nomina dederant, dira etiam minitantes his qui tantundem non facerent. Verum illos rogavi ne mihi molesti essent: profiteri enim me, illis adversum fore in hoc negotio. Laudonnierus quidem intellexerat aliquam conspiracyonem fieri, sed auctores ignorabat: Ottignio etiam quaedam fuerant indicata, sed subobscurè. Vespere præcedente noctem qua conjurati sua consilia exequi statuerant, admoneor à nobili Nortmanno, cui cognomen de Pompierre, sequente nocte Conjuratos Cailliū Centurionem, cum quo commune habebam hospitium, jugulare decrevisse, itaque si vita mihi cara esset, alio me conferrem: cum verò propter temporis angustiam mihi non esset integrum alio proficisci, domum redeo, & Caillio significo quæ intellexeram. Ille illico per posticum se proripit & in silvam se it abditum: ego, Dei protectioni me commendans, rei eventum expectandum censeo.

Sub mediam noctem Fourneauxius Conjuratorum dux, thorace ferreo indutus & pyxidem tormentariam manu tenens, cum viginti pyxidariis ad Laudonnieris ædes proficiscitur, quas aperiri jubet, rectà ad ipsius lectum profectus, pyxidem illius gutturi admovet, & scædissimis convitiis illum profcindens, claves armamentarii & annonæ petit, omnia illi arma adimit, & catena pedibus injecta captivum in navim quæ illi flumine ante arcem erat abducere jubet, additis duobus militibus qui ipsum observarent. Eadem hora alter Croixius armatus decem & quinque pyxidariis ipsum comitantibus ad Ottignii Legati ædes proficiscitur, quæ nulla alia re offenderunt, nisi quod arma ipsi ademerint, & constituta capitis pœna vetuerint ante lucem domo egredi, quod pollicitus est. Tantundem factum est à Stephano Genuensi in ædibus Arlacii nostri Antesignani, qui idem juramentum præstare coactus est. Eodè tempore Centurio Seignoire stipatus reliqua militum qui nomina dederant multitudine, ad Caillium proficiscitur ea mente ut eum neci traderet, quia apertè ipsorum conatibus se opposuerat, dum ei consilia sua aperirent: sed ubiq; quæsitus, neque ipse, neque ejus germani fratres sunt reperti: omnia autem eorum arma auferuntur cum meis, mandato etiam facto ut captivus in stationem militum duceret: sed proborum quorundam virorum nobilium opera, qui hujus conjurationis minime conscii, ab aliis subornati fuerant, mihi restituta sunt arma, ea tamen conditione ne ante lucem ædibus excederem, quod sum pollicitus. Deinde reliquorum militum, qui nomina non dederant, domos adiens omnibus arma adimit, atque ea ratione rerum potiuntur.

Conjecto in vincula, ut diximus Laudonniero, Ottignio Legato & signifero Arlacio inermibus & domi conclusis, Centurione Caillio per silvas vago & cum feris versante, & reliquis probis spoliatis armis, conjurati omnium rerum ordinem pervertunt, Laudonnieris etiam nomina & auctoritate abutentes: atque quo facilius ad suæ deliberationis scopum pervenirèt, Fourneauxius Conjuratorum dux diploma sive licentiam in membranis describi curaverat Laudonnieris nomine, qua ipse ut Regis Galliarum Legatus, potestatem con-

cedit maximae suorum parti (quandoquidem annonae penuria cum suis laboraret) in novam Hispaniam proficiscendi, alimentorum conquirendorum causa, omnes praefectos, centuriones, & reliquos munere aliquo publico fungentes sub auspiciis Regis Hispaniae orans, ut eis in hac re auxilio esse velint. Hoc diploma ab ipsis conscriptum Laudonnierus subsignare cogitur: bina illa deinde navigiola majora quorum ante memini, ex armamentario regio omnibus necessariis rebus & annona instruunt; deligunt naucleros & nautas ad profectiorem in Novam Hispaniam suscipiendam. Vni navi praeficiunt senem Nauclerum Michaelem Vaforium Diepensem, alteri alium Nauclerum Trenchant appellatum: atque sic instructi a Carolina solverunt VI II. Decembris, timidos & tirones nos nuncupantes, & minitantes, nisi cum omnes opulenti ex Hispania nova rediret, illos in arce recipere vellemus, pedibus nos protrituros.

Ceterum dum hi latrocinus opes quarunt, de Roche-ferrierio agemus, qui ad montes profectus sua prudentia & diligentia effecit, ut familiarem se redderet tribus supra nominatis Regibus, Regis *Outina* (cum quo diu versatus erat) infensissimis hostibus. Ille attonitus conspectu ordinis & opulentiae ipsorum, misit in arcem Laudonnero multa munera ab istis Regibus illi donata: inter quae fuerunt plani orbis aurei & argentei amplitudine mediocris lancis, quibus pectus & dorsum tegere solent in bellum profecturi, multum auri infecti cui admixtum aes, & argenti non bene excocti: misit praeterea pharetras selectissimis pellibus tectas, & omnes earum sagittas cuspe aurea armatas, plurima aulea ex pennis confecta, & scirpis diverso colore infectis summa arte contexta: lapides item virides & caeruleos, quos nonnulli smaragdos & saphiros esse censebant, cunei modo efformatos, securis vicem ad ligna cadenda illis praebetes. Laudonnierus contra misit quae potuit, veluti crassiores pannos crispatos, secures & ferras aliquot, aliasque viles Lutetianas merces, quibus abunde sibi satisfactum putarunt.

His commerciis magnam sibi invidiam conciliavit Roche-ferrierus apud Regem *Outina*, praesertim vero apud omnes ejus subditos, qui tale in ipsum odium conceperunt, ut ne nominis quidem ipsius appellationem audire sustinerent, sed illum *Timogna*, hoc est, hostem vocarent. Verum Roche-ferrierus, aliorum Regum amicitiam retinens, alia via in nostram arcem redire poterat, quia multi rivi in majorem fluminis *Mari* alveum se exonerant quindecim vel sedecim infra *Outina* Regis habitationem miliaribus. Non abs re porro me facturum arbitror si militis cujusdam meminero qui Roche-ferrierii exemplo motus, etiam a Laudonnero facultatem postulavit commercia agendi alio loco: impetrat quidem, sed etiam admonetur, ut quid moliretur probe antea consideret: nam fieri posse ut cum vitae ipsius dispendio susceptum negotium prosequatur, quod eventu comprobatum est. Impetrata igitur potestate, adulescens hic miles robustus & agilis, ab ineunte aetate in Admirallii Castilionei aula educatus, cui nomen Petro Gambie, solus sine ministro ab arce nostra discedit onustus vilibus quibusdam mercibus, & sua pyxide tormentaria, per provinciam negotiari coepit. Is adeo fortunatus fuit in sua negotiatione, ut etiam
in Inco-

in incolas imperiū quodammodo exerceret, quos subinde cogebat ad nos sua mandata perferre: tandem ad Regulum quendam *Adelano*, cujus domicilium in parva fluviali insula, profectus, tantam cum illo familiaritatem contraxit, ut ipsi fieret carissimus, atque adeo filiā illi donaret. Tanto honore affectus, accumulandis opibus studebat tamen: imo Rege absente cum ille omnia guber- naret, ipsius Regis subditos adeo tyrannicē habebat, ut eos quærere cogeret, quæ invenire nō poterant, & tandem omnibus invisus redderetur: quia verò Regi erat charus, nemo mutire audebat. Accidit ut ille à Rege licentiam postularet ad nostram arcem proficiscendi, jam enim duodecim lunis amicos sibi non esse conspectos. Facultatem impetrat ea conditione, ut intra paucos dies redeat: collectis quas adquisierat opibus, & in canoam sive lintrem qui illi traditus fuerat, impositis, & binis Indis additis qui cum veherent, Regi valedicit. In itinere, alter comitum memoria repetens se aliquando fustibus fuisse ab hoc milite castigatum, & invitante illum præda, talem occasionem cum vindictæ tum prædæ minimè negligendam esse judicat: quapropter dum miles securus se inclinat, arrepta quæ propter militem jacebat securi, caput illi confringit, & sublatis ejus opibus, comite alio Indo fugit, ut in postrema figura postea videre licebit.

Nunc redeundum ad Laudonnieri liberationem & narrationem eorum quæ acciderunt post nostrorum abitum, qui etiam abstulerant quædam doli- ola generosi vini Hispanici, quod asserente Laudonniero & ejus famula, in æ- grorum usum adservabatur. Centurio Caillius per sylvas errans, per juniorem fratrem quo administro mittebantur illi quæ poterant, intelligens eorum abi- tum qui mortem ipsi machinati erant, in arcem subito rediit, & reliquis animū addens, adhortatus est ad arma denuo sumenda, (nam qui abierant illorū non fuerant indigi) & Laudonnierus è naui accersitus, Ottignius Legatus & Ar- lacius Signifer, ex suis ædibus cum omni securitate dimissi. Delectus fit, & no- vo sacramento omnes adstringuntur, cum ad Regis obsequium, tum ad ho- stibus, in quorum numero habiti sunt qui adeo scelestè nos contempserant, re- sistendum. Instituti quatuor præfecti qui totum cœtum in quatuor manipu- los distribuerent, & ita singuli ad suum munus redierunt.

Dum hæc geruntur venit in nostram arcem adolescens nobilis Pictavi- ensis, dictus Dn. *Groutant* à Roche-ferriero missus, cui semper comes fuerat etiam in profectioe ad tres Reges vicinos montibus *Apalatcy*. Is Laudonni- ero retulit tertium ex his Regibus magno amore prosequi Christianos, eum esse potentem & opulentum, habereque semper parata ad bellum quatuor hominum millia, petiisse à Roche-ferriero, ut se ad Laudonnierum mitteret significatum, perpetuum fœdus (si volet) inter utrumque futurum, cum- que intelligat eos aurum expetere, quibusvis conditionibus astricturum suam fidem, ut si centum pyxidarios ab eo accipiat, se certo scire eos redditurum victores & dominos montium *Apalatcy*. Hos illi curaturum pollicitus e- rat Roche-ferrierus, ignarus turbarum quæ in arce fuerant excitatæ: nec dubi- tandū est quin (nisi tam turpiter deserti fuissetus à potiore nostrorum parte)

periculum ejus rei fecissemus, cognito tandem hujus Regis erga nos affectu. Sed Laudonnierus apud se reputans, si centum ex nostris ablegaret, neminem reliquum fore qui arcem tueri posset; eam expeditionem distulit; donec nova è Gallia advenirent auxilia: licet non admodum fideret Indis, praesertim ab eo tempore quo ab Hispanis fuit admonitus: de quibus non abs re videor mentionem hic facturum, ut ex Floridae Historia à Laudonniero conscripta & divulgata, colligere licuit.

Dum, inquit, Indi me invifunt, & semper aliqua munera adferunt, veluti pisces, cervos, galli-pavos, leopardos, urforum catellos, atque alia pro regionis quam incolebant natura: illos contra remunerabar securiculis, cultris, vitreis globulis precariis, pectinibus & speculis. Bini Indi quodam die salutatum me adveniunt sui Regis *Marracou* appellati nomine, qui habitabat circiter quadraginta miliaria à nostra arce, Meridiem versus, mihi que significarunt, in Regis *Onachaquara* familia quendam versari cui nomen *Barbatus*; & apud Regem *Mathiaca* alium esse, cujus nomen ignorabant, utrumque exterum: in mentem mihi subiit, forsitan Christianos esse, ea de causa omnes vicinos Reges rogatum misi, ut si quem Christianum in suis dominiis haberent, ad me perducerent, me duplum repensurum. Illi cum muneribus capiantur, tam diligentem navarunt operam, ut bini illi, quorum facta mentio, ad me in arcem venirent. Nudi erant, capitisque comam ad poplites usque propendentem habebant, Indorum more; Hispani quidem natione, ad mores tamen indigenarum ejus regionis ita assueti, ut initio nostra consuetudo illis peregrina videretur. Habito cum illis colloquio, vestes illis dedi, & comam adimere jussi, quam negligere noluerunt, sed sindone involverunt, dicentes se in patriam referre velle, tamquam testimonium earum arumnarum quas in India perpeffi essent. In unius capillis inventum est auri paucillum reconditum, quod circiter viginti quinque coronatos pendebat, quo me donavit. Sciscitanti de locis quae peragrassent, & qua ratione in eam provinciam pervenissent, responderunt, quindecim jam annos elapsos, quod tres naves, in quarum una ipsi vehebantur, circa *Calos* periissent, ad scopulos vulgo *Martyres* dictos allisae, Regemque *Calos*, maximam divitiarum qua haec naves onustae erant partem, ad se recepisse, tali etiam adhibita cura, ut maxima virorum pars salva fuerit, atque plurimae mulieres; è quarum numero tres aut quatuor erant nobiles, connubio junctae, quae cum suis liberis etiamnum apud eundem Regem *Calos* vivebant. Interrogati quis esset hic Rex, responderunt formosissimum & maximum esse totius regionis Indum, strenuum admodum, & potentem. Significarunt praeterea, magnam auri & argenti vim possidere, eamque pago quodam in scrobe reconditam habere, humana altitudine non minore, nec minus lata quam dolium: ad quam si cum centum pyxidariis proficisci possem, se curaturos ut omnes haec divitiae in meam potestatem venirent, praeter eas quas ab indigenis qui opulenti erant, adquirere possem. Significarunt praeterea, mulieres cum ad saltationes conveniunt, è cingulis propendentes habere planas auri massas, orbibus non minores; easque tanta quantitate, ut pondere fatigatae incommodè saltare possent: viros itidem

dem similibus esse onustos. Maximam earum divitiarum partem (ex ipsorum opinione) ex Hispanicis navibus, quæ ad illud fretum plerumque allidebatur, provenire: reliquam autem ex commercio, quod huic Regi cum aliis vicinis Regibus erat. Ipsum verò apud subditos magna in veneratione esse, ab eo persuasos, ipsius magicis incantationibus fieri, ut tellus affatim necessaria produceret: quoque facilius id illis persuaderet, cum duobus aut tribus ex fidissimis in ædes quasdam secedebat, in quibus suas incantationes exercebat, Regisque mandato statim occidi, quisquis curiosius, quid agerent, observare vellet. Imo addebant, singulis annis tempore messis barbarum hunc Regem hominem sacrificare, qui ejus rei causa expressè adservabatur, & deligebatur ex Hispanorum, qui in hoc fretu naufragium patiebantur, numero. Alter illorum etiam retulit, se diu apud illum tabellarii munere functum: & sæpius ab eo ablegatum ad Regem quendam, nomine *Oathkaqua*, quatuor aut quinque dierum itinere à *Calos* distantem, qui illi semper fidus amicus fuerat. Medio autem itinere insulam esse magno in lacu dulcis aquæ *Sarropé* nuncupato, & quinque miliaria patente sitam, multis fructuum generibus uberem, dactylis præsertim in palmis nascentibus, quorum magnum est commercium, sed majus adhuc radicis cujusdam, ex qua fit farina, ad panem pinendum adeo idonea, ut præstantissimus panis ex ea conficiatur: quindecimque in circuitu miliaribus totam regionem ab ea educari. Hinc fieri, ut ejus Insulæ inquilini, à vicinis magnas adquirant opes: nam ab ipsis nisi magno precio non redimitur ea radix. Præterea totius illius regionis maximè strenui existimantur, ut re ipsa declarant, cum Rex *Calos* affinitate cum *Oathkaqua* contracta, ejus filia, quæ illi desponsata erat, spoliatus fuit. Rem verò sic gestam narrabat.

Oathkaqua magno suorum numero stipatus unam è suis filiabus eximia forma, pro coloris ratione in ea provincia præditam, ad Regem *Calos* deducebat, ut ipsi conjugem daret: hujus Insulæ incolæ cum id intellexissent, structis insidiis qua *Oathkaqua* transeundum erat, pugna commissa ipsum fundunt fugatque, sponsa cum toto gynæceo capta, in Insulam abducitur. Quod apud Indos pro insigni victoria censetur; matrimonio enim sibi conjungere eas virgines, & perditè amare solent. Qui mihi hæc referebat Hispanus, addebât, de bellato *Oathkaqua*, ad ipsum commigrasse, atque circiter octennium hæsisse, donec ad me veniret.

Calos ad flumen quoddam situm est quadraginta aut quinquaginta miliaribus ultra Floridæ promontorium qua ad Meridiem vergit, *Oathkaqua* verò domicilium cis Promontorium est, Septentrionem versus, eo loco qui in Chorographia *Cannaveral* nomine insignitur, octo & viginti gradibus ab æquatore.

Circiter vigesimum quintum Januarii, meus vicinus *Paracoufi Saturioua* per binos è suis aliquot munera misit, ad mihi persuadendum, ut conjunctis viribus bellum adversus *Outinam* mihi amicum gereremus: orans præterea, meos qui apud *Outina* versabantur, revocarem, quorum causa sibi ab *Outina* invadendo & superando temperaverat; plurimi etiam reges ipsi confœderati, per

tres hebdomadas aut totū mensem ejus rei causa nuncios ad me miserunt. Sed eorum votis acquiescere nolui; imo omnem operam adhibui, ut eos amicè conjungerem: quod annuerunt, ita ut existimare jam pro rato habituros quidquid statuerem. Tum uterque Hispanus qui jam diuturno usu perspectum habebant Indorum ingenium, me admonere, ne ullo modo eis fiderem: cum enim maximè blandiuntur, tum proditoriè aliquid moliuntur; natura ipsos esse summos proditores & dissimulatores. Sed ego etiam minime illis fidem habebam: experientia enim & ex Historiarum recentiorum lectione mille eorum artes & fraudes cognoveram.

Duabus cymbis jam paratis, Navarcho *Vasseur* mandatum dedi ut littus marinum ad Septentrionem vergens observaret, & ad flumen usq; navigaret, cujus Rex *Adusta* erat, ejus loci dominus, è quo Galli anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo annonā convexerant. Binas differentes vestes illi mittebam, aliquot secures, cultros, & alias viles merces, ut facilius me in ipsius amicitiam insinuarem. Atque ut ipsum facilius demereri possem, *Vassorio* adjunxi militem Aimon dictum, qui in prima navigatione fuerat, sperans à Rege *Adusta* cognitum iri. Sed ante quàm cymbam conscenderent, diligenter perquirere jussi, quid altero milite *Rouffi* vocato, qui solus in illa regione remanserat, cum *Nicolaus Mallon* tribunus, & reliqui in priore illa navigatione, naves conscenderunt, ut in Galliam redirent, actum esset. Eo pervenientes intellexerunt, militem quadam cymba, istac iter faciente, exceptum, & aliò traductum; postea autem didici Hispanos illud littus legentes eum excepisse & *Havanam* duxisse. Rex *Adusta* cymbam mayzo & fabis plenam mihi remisit; addidit præterea binos cervos, & binas pelles secundum ipsorum consuetudinem pictas, & aliquot uniones vilis precii, quoniam *adusta* erant; mihi etiam significari iussit, latas possessiones daturum si sedes apud ipsum figere vellem, & collato mayzo quantum vellem communicaturum. Interea tanto numero palumbes advolarunt septem hebdomadum spatio, ut singulis diebus plus quam ducentas tormentaria pyxide in sylvis nostrum propugnaculum ambientibus occideremus. Reverso Tribuno *Vassorio*, denuo binas cymbas milite & nautis armari jussi, & munus meo nomine misi viduæ defuncti Regis *Hiouacara*, quæ à nostra arce circiter duodecim miliaria habitabat ad Septentrionem: illa humaniter exceptis meis utramq; cymbam mayzo & glande onustam remisit: addidit etiam aliquot corbes *Cassina* foliis plenos, è quibus potionem conficere solent: hujus viduæ habitatio mayzi omnium elegantissimi feracissima esse perhibetur, præ reliquis maritimis regionibus. Fertur etiã hæc Regina omnium Indicarum formosissima, & summa esse in existimatione: imo eam subditi adeo reverenter habent, ut ferè perpetuo humeris ferant, nec pedes ire sinant. Aliquot diebus post remissas meas cymbas, suum *Hiatiqui*, hoc est, interpretem ad me misit.

Tantum porro annonæ me habere existimans, quæ sufficeret donec naves è Gallia advenirent, binas meas cymbas (ne mei otiosi essent) misi observatum ad verso flumine, quæ eo usque progressæ sunt, ut triginta miliaribus
supra

supra *Mathiaca* pervenirent, & istuc lacum observarent, cujus adversa ripa (referentibus Indis) conspici non posset; licet enim celsissimas totius illius regionis arbores conscendissent, nunquam tamen terram ex adverso conspicerent potuissent. Ea de causa mei ulterius non sunt progressi, sed regredientes per *Chilili*, insulam *Edelano* medio in flumine sitam observarunt, omnium sane amœnissimam. Nam cum circiter tria duntaxat miliaria in longitudinem & latitudinem pateat, feracissima tamen est hominum & fructuum. Pagum *Edelano* egressis, & ad fluminis portum tendentibus, transeundum fuit per deambulacrum trecentis passibus longum, quindecim latum, utrinque vastis arboribus confitum, quarum rami sese tam eleganter in fornices implicant, ut pergula quædam videatur arte facta, non natura, cui similem forte Christianus orbis non habeat. Egressi inde nostri, ad *Enecaque* navigarunt, postea ad *Patchica*, denique ad *Choya*; istuc relictis in ejus fluminis exiguo ramo cymbis, & aliquot ad earum custodiam viris, *Outina* inviserunt, qui humanissimè illos excipiēs, ipsos inde discedentes adeo importunis precibus urfit, ut sex è meis apud ipsum hærerent, è quorum numero nobilis quidam nomine *Grotant* fuit. Is postquam bimestre apud eum hæsisset, & diligēter regionem observasset cum alio, quem diu ante istuc ejus rei causa reliqueram, ad me in arcem rediit, significatum, se amœniorem regionem numquam conspexisse. Inter reliqua referebat se locum quendam *Oultaca* appellatum conspexisse, cujus Rex adeo potens erat, ut tria aut quatuor Indorum milia in aciem producere posset, cui si me adungere vellem, facile reliquos in nostram potestatem redacturos: deinde huic Regi itinera, quæ ad montes *Apalatcy* ducunt, cognita erant, ad quos pervenire Galli adeo desiderabant, & in quibus *Oultaca* hostis suam habitationem habebat, quem facile debellare possent, modo conjunctis viribus in ipsum impetum facerent. Misit ille Rex ad me laminam ex are è montibus illis eruto, è quorum radicibus torrens emanat auri, sive, ut Indi putant, æris dives: nam in eo torrente harundinaceo calamo concavo, arenam hauriunt, donec plenus sit, deinde eo quassato & succusso, cum arena mixta inveniunt æris & argenti grana: unde conjecturam faciunt aliquam ejus metalli venam esse in illis montibus. Cum verò quinque aut sex duntaxat dierum itinere à nostra arce abessent, ad *Thraciam* constitueram, simulatque subsidia è Gallia advenissent, habitationem nostram traducere ad flumen aliquod, ad Septentrionem magis obversum, ut eò viciniore montibus essemus.

Redeundum nunc ad nostros nobiles & milites, qui conquirendorum alimentorum gratia, in novam Hispaniam profecti erant. Illi ad insulam *Cubam* appellentes, aliquot naves capiunt, quasdam etiam sine magna difficultate, omnis generis annona plenas, ut *Cassavi*, oleo olivarum, vino Hispanico. has naves in suum usum applicant, relictis suis navigioliis. Ea præda non contenti, in aliquot insulæ loca excendunt, & deprædantur, sic ut ex ea præda bis mille coronati in singula capita redire crederentur. Deinde actuariam navem opibus plenam, in qua ejus insulæ portus cujusdam appellati *la Havana* præfectus, non sine pugna capiunt. Præfectus pro sua & duorum liberorum redem-

ptione magnam pecuniæ summam offert: de precio conveniunt, sed ut huic etiam accedant quatuor aut sex simiolæ Saguins dictæ, elegantissimæ, & totidem psittaci qui in insula reperirentur selectissimi, manente captivo interea in nave Præfecto, donec redemptionis precium persolutum esset. Annuat præfectus, & quo maturius ista confici possint, rogat, ut ipsi liceat alterum ex liberis ad uxorem cum epistola mittere continente redemptionis conditiones. Scriptam epistolam legunt, probant nostri Galli, nihil in ea quod culpari possit reperientes, mittitur ea Havanam cum lembo actuariæ navis: ipsi tamen licet astuti & circumspecti sibi viderentur, verba non intellexerunt quæ Præfectus filio in aurem dixit; ne videlicet uxor quidquam eorum ageret quæ in epistola erant scripta, sed per dispositos equos juberet per omnes ejus insulæ portus significari, ut auxilia ipsi mitterentur. Vxor mariti mandata tanta diligentia exequuta est, ut diluculo feroces nostri Galli à duabus magnis navibus magna tormentorum æneorum quantitate ex utroque latere disposita instructissimis, & ingente rostrata nave cingerentur. Illi se conclusos conspicientes ob ostii portus angustiam, admodum attoniti fuere, pars tamen militum sex & viginti scilicet in parvam navem speculatoriam, quæ in portu erat, se conjiciunt, quo facilius & minore cum damno tormentorum percurrere possent, ac reciso anchoræ fune, pugnando per medios hostes evadunt: sed reliqui milites, (qui in actuaria navi erant, cum Præfecto Hispano) capti & in cōtinentem abducti (exceptis quinque aut sex qui in cōgressu cæsi) fuerunt, & in vincula coniecti, partim venditi & in alia loca deportati, etiam in Hispaniam & Lusitaniam usque.

Inter eos qui evaserant, tres fuere conjurationis principes, Fourneauxius, Stephanus Genuensis, & Groixius: Nauclerus Trinchant qui vi ab ipsis abductus fuerat etiã inter illos erat cum quinque aut sex nautis, qui animadvertentes navem speculatoriam carere alimentis, neque ullam affulgere spem ea conquirendi, inter se statuunt redeundum esse in Floridam interea dum alii dormirent, quod sane fecerunt. Milites excitati admodum indignati sunt, nam Laudonnierum metuebant: tandem statuunt adeundum esse fluminis Maii ostium ad alimenta quærenda: sibi enim multos Indos esse cognitos à quibus annonam accipere possent, deinde altum rursus petendum ac fortunam periclitandam clam his qui in arce erant. Ad fluminis igitur ostium pervenientes, anchoras jaciunt, & alimenta quærere incipiunt: quod Indus quidam illico significatum venit Laudonniero. Hac re cognita, Laudonnierus voluit ad eos mandata perferri, ut navim ante arcem adducerent, & ipsi eum convenirent: sed Caillius centurio eum obsecrat ut rem altius perpendat, fieri enim posse ut ejus mandatis non obsequantur, sed potius fugiant: sicque frustratum iri occasione exemplar in eos statuendi. Ad hæc Laudonnierus, quid igitur agendum statuis? cui Caillius, concede mihi obsecro viginti quinque milites pyxidarios, quos nostro navigiolo impositos tegam ejusdem velo, & sub auroram navem speculatoriam propius accedam: nam è longinquo nos binos solummodo aut ternos conspicientes cum binis nautis navigioli rectoribus, nō magnopere curabunt etiam si propius eos accedamus, navi autem ipsorum proximi, mei
milites

militēs exurgēt & illorum navem ingredientur. Hoc probato consilio, navigiolum conscendunt milites, quod postridie ante solis ortum vigiles, qui in navi erant, conspicati, totam catervam excitant; hi videntes nostrum navigiolum, ex longinquo Caillium cum binis aliis militibus agnoverunt, & eos propius accedere permiserunt nullis armis sumptis, sed postquam nostrum navigiolum latus illorum navi conjunxit, subito nostri milites exilientes ipsorum navim conscendunt: illi autem attoniti, ignem excitari jubent, & ad arma concurrunt, sed sero nimium: nam statim adempta fuerunt, & illis significatum ut ad Regis Legatum venirent, quo adeo sunt consternati, ut ipsorum vitam in summo discrimine esse agnoscerent. His in arcem perductis, juridicè cum tribus conjurationis principibus actum est, & de condemnatis supplicium sumptum, reliquæ multitudini, primùm tamen exauctorata, venia data: nulla deinde seditio subsequuta.

His rebus compositis ingens fama sequuta est, quia viciniore & remotiores Indi à nobis secesserunt multas ob causas: primùm quod pro alimentis nihil illis conferebatur, deinde quod plerumque verba à nostris acciperent, ad alimenta conquirendum: imo adeo vecordes fuerunt ne dicam perversi aliqui ut incenderent illorum ædes, existimantes ea ratione ab ipsis facilius alimenta se impetraturos. Sed malum indies sic crescebat, ut tria aut quatuor miliaria essent conficienda, prius quàm aliquis Indus reperiri posset. Huc accedebat bellum adversus potentem Regem *Outina* gestum, quod cum sit à Laudonniero descriptum in eo quem de sua peregrinatione confecit libro, illius mentionem non faciã: ut summam dicam, res esset miseratione digna, si quis sigillatim describere vellet, in quam egestatem redacti fuimus, meum enim institutum duntaxat est, ut quam brevissimè scribam quæ acciderunt.

Quibusdam ergo fame extinctis, & reliquis adeo macie confectis, ut cutis ossibus hæreret, Laudonniero etiam desperante de auxilio è Gallia accipiendo, jam enim decem & octo mensibus istic hæseramus: communi omnium consilio deliberatum est rationes meditari quibus in Galliam redire possemus: tandem decretum, ut tertia navis è Gallia adducta, quàm commode fieri posset reficeretur, & ejus summa tabulis auferentur, atque fabris in eo opere occupatis, milites secundum maris littus alimenta quærent.

Cæterùm dum ad opus accingimur, appulit ex longinqua quadam navigatione, Præfectus quidam Anglus nomine Hawquiens, qui lembo in nostram arcem venit; is nos in tam misero statu conspiciens, nobis obrulit suam operam quacumque in re nobis commodo esse posset, eamque etiam præstitit. Nam Laudonniero vendidit unam ex suis nauibus æquo admodum precio, & dolia aliquot farinae, è qua panes biscocti confecti in nostrum usum, & donatis etiam nonnullis doliis fabarum & pisorum, aliquot tormenta ænea arrhabonis loco accepit, ac discessit.

Latè admodum nactos nos esse navem præter eam quam fabri refecerant, atque annonam in nostrum reditum sufficientem, deliberatum est est arcem ante nostrum discessum duabus de causis esse diruendam; primùm ne

Hispanis, quos intelleximus eo venire velle, post nostrum discessum usui esset adversus Gallos, si denuo eò redirent; deinde ne *Saturiona* eam vacuum occuparet: à nobis igitur fuit diruta.

Verum nobis ad iter accinctis, & ventum secundum per tres septimanas expectantibus ad solvendum ex ea provincia, praeter spem advenit septem navium classis Praefecto Ioanne de Rebaud viro celebri, & multis virtutibus praedito, qui Laudonniero mittebatur successor, ad ea peragenda quae Rex jam inceperat: qua de causa omnibus insignem laetitiam attulerunt non sperata ea auxilia. Iactis anchoris Ribaldus excendit, cum aliquot Centurionibus, multisque nobilibus viris & aliis, qui gratias agebant Deo, quod nos vivos reperissent, ut necessaria subministraret, significatum enim illis fuisse nos omnes extinctos: itaque pro longa afflictione quam perpeffi eramus, Deus nobis gaudium immisit. Nam singuli liberales erant in communicandis alimentis & aliis bonis quae abunde attulerant, & omnes quacumque in re possent gratificari studebant suis amicis, aut consanguineis, aut popularibus, sic ut omnia perstreperent laetitia; sed brevi admodum, ut postea intelligemus. Ribaldus in continentem exponere cupiens merces, annonam & alia ad bellum necessaria, ostii fluminis altitudinem valide tentari iussit: sed minus aquae reperiens, quam ut maiores naves subire possent, tres minores duntaxat flumen ingredi iussit, quarum majori, Vnio nuncupatae praerat filius ipsius Iacobus Ribaldus, cui additus erat Legatus Tribunus Vallard Diepensis: alterius Praefectus erat Tribunus Mailard etiam Diepensis: tertiae imperabat nobilis quidam Machon-ville: quatuor maiores in anchoris steterunt uno à continente miliari: quia in ea plaga mare admodum erat planum, & exonerabantur lintribus & scaphis.

Septem porro aut octo diebus à Ribaldi adventu, omnibus nobilibus, militibus, & nautis (exceptis paucis qui ad quatuor majorum navium custodiam relictis erant) in terram expositis, & inter se agentibus de aedificiis struendis & arce restauranda, sub quartam pomeridianam conspecte sunt ab aliquot militibus, qui ad littus marinum exspatiatum iverant, sex naves ad quatuor nostras quae in anchoris stabant accedere: id milites statim significari jubent Ribaldo, cui ferius adveniendi denuntiant sex magnas naves anchoras apud nostras naves fixisse, quae illico praecisis anchorariis funibus, & omnibus velis expansis fugerunt; sex autem illas naves anchoris sublatis subsequutas esse (tempore autem advenit Ribaldus ut hanc persecutionem videret cum plerisque aliis) melioribus autem velis praeditae nostrae quatuor aliis sex, brevi oculorum nostrorum aciem effugerunt: ante quadrantem horae disparuerunt etiam aliae sex, quae res admodum anxios tota ea nocte nos reddidit, in qua Ribaldus omnes lintres & naviculas instrui jubet, quingentos etiam aut sexcentos pyxidarios in littore sistit, paratos naves conscendere, si opus esset nocte sic transacta postridie sub meridiem, maxima è quatuor navibus Trinitatis symbolum habens, apparere coepit, recta ad nos tendens; conspeximus deinde secundam cui praerat Cossette Tribunus, tandem tertiam, & paulo post quartam, quae signo dato nos ad se evocabant. Ribaldus vero metuens ne hostes aliqui, nostris

stris navibus occupatis, id agerent ad nos pelliciendos, periculo noluit exponere suos milites, qui tamen libentissimè naves conscendissent. Navibus propius ad littus, adversis ventis, accedere nequeuntibus, Tribunus Cossorius epistolam ad Ribaldum scribit, quam nauta acceptam recondidit, & in mare desiliit magno vitæ periculo: postquam diu natasset, à nostris conspectus fuit, & subito missus lembus qui illum exciperet, & ad Ribaldum adduceret. Epistola autè sic erat scripta: Domine Ribalde, heri sub horam quartam à meridie classis Hispanica octo navium in conspectum nostrum venit, quarum sex apud nos anchoras jecerunt. sed nos animadvertentes Hispanos eos esse, præcisus funibus anchorariis vela fecimus, ipsi etiam statim velis expansis tota nocte nos persequuti sunt, multaq; tormenta in nos exploserunt; sed videntes consequi nos non posse, quinque aut sex miliaribus infra descensiones fecerunt, educta è navibus magna Æthiopum multitudine palas & ligones gestantium, supra qua re pro tua prudentia consilium capies.

Perlecta epistola, Ribaldus præcipuos suorum in cõcilium vocat, in quorum numero triginta prope Centuriones, præter Nobiles, & commissarios, aliosque rerum procuratores. Sanior hujus concilii pars, arcem quam primum restaurandam & muniendam, magnamque militum partem ducibus Laudonieri militibus quibus itinera erant cognita, ad locum ubi Hispani erant, ablegandam esse censebat; atque ita futurum Deo juvante, ut brevi negotium expediatur: eam enim provinciam non esse Hispanici juris, cujus limites viciniore trecentis vel quadringentis miliaribus aberant. Ribaldus autem omnes ad hunc scopum tendere intelligens, ait, Domini, auditis vestris sententiis, meam etiam proferre volo: sed prius vobis significandum arbitror, me, paulo ante meum ex Gallia discessum, litteras ab Admirallio accepisse, ad quarum calcem hæc sunt verba ipsius manu exarata. Ribalde, admoniti sumus Hispanum adoriri vos velle, vide ne quid illi cedas, & rectè facies. Itaque vobis apertè dico, si sequamur vestram sententiam, futurum fortasse ut Hispani nostrorum ferociam non expectent, sed fugiant & naves denuo conscendant: qua ratione nobis occasio præriperetur eos perdendi qui nos destruere volunt. Sed hæc sententia mihi potior videtur, ut omnes nostros milites imponam quatuor iis navibus quas ad anchoras habemus, & rectè eamus occupatum ipsorum naves in anchoris istic hærentes: ubi descenderunt, quibus captis, cum nõ habebunt quo confugere possint, præter aggerem recenter ab Æthiopibus factum, in continentè descendemus, & tanto cõfidentius cum eis pugnabimus.

Laudonierus jam probè versatus in cognitione temperiei aeris ejus regionis, ipsi significat, probè dispiciendum esse primùm, ante quam denuo milites naves conscendant: nam eo anni tempore exoriri subito ventorum turbines sive typhones, quos nautæ *houraganes* appellant, totam illam plagam mirandum in modum affligentes: se ea de causa priorem sententiam probare: ob eandem atque alias causas etiam reliqui priorem sententiam amplecti dixerunt. Solus Ribaldus spreto aliorum consilio perstitit in sua sententia, quam Deus haud dubiè ratam esse voluit, ut suos castigaret & improbos perderet.

Nec adhuc contentus suo milite, a Laudonniero postulavit ipsius Præfectos atque Signiferum, quos commodè illi negare non ausus est Laudonnierus: tunc omnes Laudonnieri milites suum Antesignanum abeuntem videntes, ipsum sequuti sunt: ego etiam illos proficiscentes conspiciens, navem cum aliis conscendi, licet altero pede claudus, nec dum curatus è vulnere in crure accepto bello adversus *Outinam* gesto.

Omni bus militibus navibus impositis, unius aut duarum horarum dumtaxat secundo vento opus erat, ad perveniendum ad hostes: sed cum anchoræ essent vellendæ, ventus se convertit, & plane adversus nobis factus est, inde flâs quo nostrum iter erat institutum, sic ut duobus diebus & totidem noctibus fuerit nobis expectanda commoda aûra. Tertio die ut videbatur mutatio venti futura, Ribaldus jubet omnes Præfectos suorum militum delectum facere. Ottignius lustrum faciens militum Laudonnieri, me nondum probè curatum reperit, ea de causa cymbæ impositum, cum alio milite sartore, qui ei vestes in reditum in Galliam concinnaret, in arcem invitum redire coëgit. Cæterum sublatis anchoris & datis vento velis, subito coorta est tam horrenda tempestas, ut naves pro sua salute in altum mare quantum possent tendere cogerentur: ea verò non remittente, venti turbinibus ejectæ sunt versus Aquilonem plus quam quinquaginta ab arce miliaribus, & omnes ad scopulos allisæ contractæque; omnibus tamen viris salvis præter nobilem ex familia Admirallij Castilionei cui nomen *La Grange* Tribunum virum rerum experiètia & multis virtutibus præditum qui aquis haustus est. Hispanicæ naves etiâ elisæ naufragio perierunt.

Perseverante ista tempestate, Hispani admoniti Gallos naves conscendisse, & non abs re suspicati naufragio per eam tempestatem periisse, nostram arcem facile se occupaturos existimarunt: & licet tanti atque continui essent imbres, ac si denuo peritura diluvio essent omnia, tota tamen nocte ad nostram arcem iter facere non destiterunt: eadem nocte continuas excubias egerant pauci illi qui arma tractare norât: nam ex centum & circiter quinquaginta qui in arce restiterant, vix viginti ad resistendum erant apti; quia Ribaldus, ut dictum est, omnes strenuos milites abduxerat præter quatuordecim aut quindecim ægros & mutilos vulneratosq; ex prælio adversus Regem *Outinam* gesto: reliqui erant aut ministri aut opifices (qui ne pyxidem quidem unquam explodi audiverant) aut Regii Commissarii, ad calamum quam gladium tractandum magis idonei; præterea aliquot mulieres, quarum mariti majore ex parte naves conscenderant: Laudonnierus verò æger in lectulo decubebat.

Orta jam luce, cum nemo circum arcem conspiceretur, Dominus de la Vigne, cui Laudonnierus excubiarum curam commiserat, misertus militum madentium, & continua vigilia fatigatorum, eos ad horam quieti se tradere jubet: vix armis depositis in suas habitationes ingressi erant, cum Hispani duce Gallo Francisco Ioanne, qui suos sodales seduxerat, tribus locis accelerato gradu in arcem penetrant nemine resistente, & militum statione occupata signa
militaria

figunt, inde per militum domos vagantur, & quotquot reperiunt occidunt, unde clamores & horrendi gemitus exauditi eorum qui jugulabantur: ad me quod attinet, quotiescunque memoria repeto insigne miraculum quod Deus (cui nihil certe impossibile) in me ostendit, satis mirari nequeo, & quasi attonitus hæreo: nam ab excubiis rediens, posita pyxide tormentaria, totus madens in xylinum lectum, quem Brasilianorum more suspenderam, me conijcio aliquantulum dormire sperans: sed exauditis clamoribus, armorum strepitu, & iteratis vulnerum ictibus, illico desilio, atque egredienti ædes, ut viderem quid rerum gereretur, bini Hispani eductos gladios manu tenentes, in ipsa janua obvii facti, nec me allocuti (licet in eos imegissim) in habitationē ingrediuntur: ego verè ulterius progressus nihil nisi cædes conspiciens, atque etiam militum stationem occupatam ab Hispanis, pone eam regredior & rectà proficiscor ad aggeris foramen (quâ tormenta ænea explodebantur) ex quo facilius me posse exilire sciebam: istic quinos vel senos è meis commilitonibus reperio necatos, quorum duos agnovi, videlicet la Gaule & Ioannem du den. Tū in fossam desilio, qua superata solus iter facio paulatim ascendens, donec ad silvam quandam pervenirem: istic in æditiore collis loco consistenti, primum mihi à Deo mens reddita: certum enim est, quæcunque mihi ab habitatione digresso acciderant, tamquam mente capto evenisse. Oratione autem ad Deum facta, ut quid in tam extremo periculo agendum esset mihi suggereret, ejus Spiritus instinctu silvam, cujus semitæ ex frequenti usu ante probè mihi erant cognitæ, ingressus sum: paululum progressus, alios quatuor Gallos reperi magna cū animi lætitia, atq; nos mutuo consolati, disquirere cœpimus quid esset agendum: nonnullorum erat sententia, ut istic in posterum diem, quo Hispanorum furor mitigari posset hæreremus, deinde in ipsorum potestatem nos traderemus potius, quàm istic manentes ferarū libidini nos exponeremus, aut fame, quam aliàs tam diu perpeffi eramus, extingueremur: aliis displicebat hæc sententia, & Indorum habitationes procul quarandas esse censebant, apud quos viveremus, donec Deus aliam viam nobis demonstraret: ad quos ego, fratres, neutrorum sententiam probo, sed si mihi credatis, per silvam ad maris littus tendemus, vbi forsitan aliquid intelligemus de binis navigiis minoribus quæ Ribaldi mandato flumen ingressæ sunt ad exonerandam annonam è Gallia advectam: illi meas rationes omnino impossibiles judicantes, ad Indos se contulerunt, me solo relicto. Verùm Deus, meæ afflictionis misertus, alium comitem procuravit, nempe militem illum, Grand chemin nominatum, quem ab Ottignio in arcem, ad vestes illi concinnandas, remissum ante dixi: huic idem consilium do quod aliis, nempe littus investigandum, ad minora duo navigia reperienda; probato meo consilio, toto illo die facientes iter, tandem silvam superavimus: sed ut quo tendebamus perveniremus, emetienda adhuc erant harundineta, magnis harundinibus confita (difficile admodum iter) atque tali labore confectos nox oppressit continuis imbribus supra nos cadentibus, & maris undis intumescantibus, aqua supra cingulum inter ista harundineta etiam pertingente, quo in labore prior nox transacta est. Orta jam die cum versus mare nihil sese offerret nostris oculis, indignatus miles mihi dixit, præstitisse

hostibus se tradere, atque ad eos regrediendum: nam dum intelligent nos opifices, parcituros, sin minus, an nō satius est ab illis occidi, quam in hoc misero statu languere? Eum à tali proposito divertere tentavi, sed operā lusi: imo jam me relicturus, effecit ut fidem illi darem ad Hispanos cum ipso regressurum: remenso itaque per sylvam itinere, conspiciens jam arcem, & strepitum gaudiumq; Hispanorum exaudiens, commotus fui: atque militi dixi, Oro te amice & fodes, ne illuc eamus, sed aliquantulum adhuc subsistamus: Deus enim aliquam salutis viam nobis demonstrabit, cum multas habeat nobis incognitas, & nos ab his molestis liberabit: tum ille me amplexus, ego inquit ab eo, & tibi valedico. Editiorē paulo locum conscendens, observare volui quid illo fieret. Conspetus ab Hispanis ut è monte descendebat, illico adversus eum caterva militum mittitur, quos ad se venientes videns, in genua se coniecit, vitam ab illis postulans: sed furore perciti frustulatum cum conciderunt, summis hastis & pilis frustra concisa praefigentes. In sylvam interea me abdo, in qua confecto unius miliaris spatio, incido in quendam Rotomagensem, cui nomen La Crete, & Belgam Insulanum Eliam des Planques cum Laudonneri ancilla, quae vulnus in pectore acceperat; ad prata igitur marina tendentes, ante quam sylvam egrederemur, Laudonnierum etiam invenimus & alium nomine Bartholomæum, cui altum vulnus in collo acinace inflatum; tandem accedentibus adhuc aliis, decimum quartum vel decimum quintum numerum explevimus. Quia verò faber lignarius dictus Le Chaleux, unus è nostris, breviter descripsit eam calamitatem, de iis non plura: illud solum addam, quod transactis in aqua supra cingulum duobus diebus & totidem noctibus in paludibus & harundinetis, Laudonnierus qui natandi peritus erat, cum adolescente Rotomagensi tria magna flumina natando superavit, ante quam nostras naves conspiceret: tertio die nautarum opera salvi Dei beneficio ad naves pervenimus.

Supra dictum est, Ribaldum aquae penuria quatuor majores naves in fluminis ostiū perducere nō potuisse, ad eas exonerandas, sed tres minores duntaxat flumen ingressas, quarum majori praerat Jacobus Ribaldus ejus filius: is suam navem usque ad arcem perduxerat, & licet istuc in anchoris staret dum Hispani istam lanienam exercerent, ne tormentū quidem ullum (cum non careret) explodi curavit. Contra volenti suam navem ad fluminis ostium moliri, venti obstitabant toto illo die: interea Hispanis ipsum sollicitantibus ut se ipsis traderet; & quis enim conditionibus cum eo pacisci velle, nihil responsum: nam cum illum observarent omniconatu suam navem in altum deducere vellet, in cymbam, qua in arce utebamur, tubicine cum proditore illo Francisco Ioanne (qui Hispanos ad arcem perduxerat) imposito, colloquium petierunt, ipsum ad compositionem invitantes. Et licet is proditor adeo confidens fuerit, ut Jacobi Ribaldi navē ingredi non dubitaret, adeo tamen ignavus & timidus fuit Ribaldus, ut illum retinere sit veritus; atq; liberum dimiserit, tamen si praeter nautas plures quam sexaginta milites haberet. Sed nec Hispani licet cymbis & lineribus abundarent, eum aggredi unquam sunt ausi.

Postridie

Postridie tandem Iacobus navem ad fluminis ostium perduxit, ubi alias duas minores invenit, classiariis fere vacuas; nam major pars eorumque præstantiorum Ioannem Ribaldum sequuta erat. Quod animadvertens Laudonnierus, ex binarum illarum classiariis & apparatu unam instruendam, alteram autem deserendam statuit; deinde cum Iacobo deliberat quid potissimum sit faciendum, rectène facturos si ipsius patrem perquirerent: ille respondit, se in Galliam redire velle: quæ sententia obtinuit. Porro, quia præter biscoctum panem in minore navi nulla erat annona, atque aqua destituebatur, Laudonnierus aliquot vacua dolia aqua impleri curavit: idem fecit Iacobus, in qua re & restaurandis quæ deerant, biduum insumptum; totoque illo tempore nostræ naves lateribus confertæ fuerunt, cum arbitraremur Hispanos aggredi nos velle: nam subinde cymbas ingressi nos observatum veniebant, propius numquam tamen accedentes, quàm ad pyxidis tormentariæ iactum; & certè cognitis iis, quæ in nostris perpetrarant, strenuè nos defendere statueramus.

Ante quam solveremus petiit à Iacobo Ribaldo Laudonnierus, ut unum ex quatuor quos habebat naucleris sibi commodaret; quia nullus nostrum navigationis admodum peritus erat, sed repulsam tulit; deinde commodum futurum ait, ut deprimerentur naves, quas ad fluminis ostium habebamus, ne Hispani à nostro discessu eas occuparēt, iisque Ioanni Ribaldo reditum in flumen præcludant, si illud ingredi cuperet (ignorabamus enim ipsius naufragium) sed Iacobus nihil istorum facere voluit. Laudonnierus hominis pertinacia perspecta suum fabrum misit, qui naves corrumperet & deprimeret, videlicet quæ ex Gallia advexeramus, quamque à Præfecto Anglo Hawquins emeramus, & minimam earum quas Ribaldus advexerat, atque è *Florida* solvimus, nautis & annona male instructi; sed Deus adeo prosperum iter nobis concessit (licet multa in navigatione perpeffis) ut pone Angliam appelleremus in sinum, qui vulgo *Divi Georgij manica* appellatur. Hæc sunt quæ de iis, quæ in nostra navigatione à me observata sunt, dicenda esse existimavi; ex quibus apparet victoriam non ab hominibus, sed à Deo provenire, qui omnia pro sua voluntate justè facit. Nam humano iudicio, quinquaginta Ribaldi milites infimi ordinis, omnes Hispanos protrivissent, qui magna ex parte mendici & fex populi erant: Ribaldus verò plures octingentis pyxidariis veteranis, & strenuis, quorum arma erant deaurata, habebat. Sed quandoquidem Deo ita placuit, nostrum est dicere, sit benedictum nomen Dei æterni.

Quid porro Ribaldo acciderit ab ejus naufragio, quia non adfui, dicere nihil possum, nisi quod à nauta quodam Diepensi intellexi, qui ex Hispanorum manibus elapsus est, ut postea dicitur. Summatim igitur rem ipsam percurrā. Lustrò, ut diximus, suorum factò, & solo Centurione *la Grange* desiderato, amissis tamen naufragio omnibus armis, Ribaldus ad suos egregiam orationem habuit, illis declarans æquo animo ferendam esse eam calamitatem, quæ ex Dei voluntate ipsis acciderat; erat enim verè pius & bene dicendi facultate præditus. Peractis deinde ad Deum precibus, ad nostram arcem (à qua quinquaginta miliaribus aberant) proficiscendum esse statuunt. In hoc itinere multas haud

dubiè perpeſſi ſunt difficultates, & magnos labores ſuſtinuerunt: nam loca per quæ illis iter faciendum, aquis intercifa erant, ab Indis neque habitata neque culta, ſic ut herbis & radicibus veſci cogereſſentur, unde maxima pars animi admodum anxia: ſuperatis tamen omnibus difficultatibus magno animo, vicini noſtræ arci facti ſunt ad quartum aut quintum miliare, ut Laudonnieri milites ex locorum obſervatione judicare poterant. Tum Ribaldus ulterius progredi non voluit, ſed coacto concilio, quid agendum eſſet, deliberandum cenſuit: tandem in eam ſententiam itum eſt, mittendum eſſe Vaſſorium, virum navigationis admodum peritum, cui noti erant omnes rivi qui in flumen Maiû decurrebant, cum quinque aut ſex viris, in Indica cymba, ut obſervaret, & intelligeret quæ valerent Galli in arce relictæ. Ille in majorem fluminis alveum perueniens & arci vicinus, Hiſpanica ſigna agnovit, quibus conſpectis, ad Ribaldû rediit, ab Hiſpanis non obſervatus, & quæ vidiffet retulit. Hiſ auditis quantum animo mœrorem conceperit Ribaldus cum ſua caterva facile eſt coniiicere, ut quid dicerent, quid agerent plane ignorent. Nam ipſe prævidebat Hiſpanorû crudelitatem, deinde majorem ſuorum partem fame & egeſtate perituram mediis in ſylvis animadvertēbat: ante tamen quam quidpiam ſtatuerent, ad arcem remittendum eſſe aliquem cenſent, qui intelligat quo animo erga ſe ſint affecti Hiſpani, & quid de hiſ actum ſit qui in arce erant. Mittitur ergo Nicolaus Verdier navis unius Navarchus, cui adjungitur Laudonnieri Centurio Caillius, cujus ante memini, in cymba cum quinque aut ſex militibus, qui ſecundum mandata illis data, è longinquo ſe conſpiciendos præbuerunt: Hiſpani hiſ conſpectis, ſcapha ad alteram fluminis ripam aduenerunt, & cum noſtris colloqui cœperunt. Galli percontantur ubinam eſſent quos in arce reliquerant: reſpondent Hiſpani, ſuum præfectum virum humanum & clementem magna navi omnibus rebus egregiè inſtructa ipſos in Galliam remiſiſſe, nec minore humanitate erga ipſum Ribaldum, & ejus milites uſurum: hæc illi referri poſſe. Hiſ auditis Galli revertuntur. Ribaldus hiſ intellectis, nimis temerè credidit ſuos in Galliã remiſſos, & coacto denuo concilio; maxima pars militum vociferari cœpit, eamus, eamus, quid dubitamus ad eos proficiſci? Etiam ſi nobis utantur pro ſua voluntate, an non præſtat ſemel occumbere, quã tot clamitates perpeti? nullus eſt noſtrum qui centies mortem in ſinu jam non ſenſerit, dum in iſtis anguſtiis verſamur. Alii prudentiores dicebant ſe Hiſpanis numquam fidem adhibiuros: nam licet, inquiebant, nulla alia ſubefſet cauſa, quàm odium quo nos religionis cauſa proſequuntur, certum eſt eos nobis non parcituros.

Ribaldus autem videns maximam ſuorum partem eiuſ eſſe ſententiæ, ut ſeſe Hiſpanis traderent, ſtatuit mittendum Caillium ad Hiſpanorum Præfectû, atque ſi illum ad clementiam propenſum animadverteret, ab ipſo peteret fidē Legati regis Gallię nomine, atq; ſignificaret, ſi juſiurandû præſtare velit, omniû vitæ ſe parituro, paratos eos fore ad ipſius pedes ſe abiicere. Hac ſententia à maxima parte probata, remittitur Caillius, qui ad arcem veniens ad præfectû perductus eſt, ad cujus pedes ſe abiiciens, ſibi commiſſa refert. Ille Caillii oratione

trione audita, non modo conceptis verbis fidem Caillio dedit, quam repetitis multis crucis signis, osculo sancitis, confirmavit, sed etiam juratam coram omnium suorum caterva, & scriptam suoque sigillo obfirmatam tradere voluit, per quam denuo jurabat, & pollicebatur, se sine fraude, fideliter, & ut virum nobilem atque probum decet Ribaldi atque militum ipsius vitam conservaturum: data sunt igitur litterae eleganter scriptae: sed tantumdem praestitisset nuda charta, atque papyracea haec fides. Refert ergo Caillius bellam illam promissionem, quae nonnullos laetitia affecit, aliqui non multum spei ex ea ceperunt.

Ribaldus tamen suos egregia oratione, exhortatus, & precibus ad Deum ab omni caetu fufis, proficisci statuit, atque ad fluminis ripam è regione arcis cum suis venit. Ab Hispanis qui excubias agebant conspecti, cymbis accersiti fuerunt. Ribaldo solo in arcem perducto cum Ottignio Laudonnieri Legato, reliqui extra arcem circiter teli jactum ablegati fuerunt, & quaterni simul per brachia dorsis ad dorsa conversis colligati; qui ex rerum apparatu, de sua vita jam actum esse facile cognoverunt. Ribaldus identidem Praefecti colloquium petebat, ut promissi illum admoneret, sed surdis canebat. Ottignius miseræ plebis voces exaudiens, juratam fidem requirebat, sed risu excipiebatur. Ribaldum in sua petitione perseverantem, tandem adit miles Hispanus, Gallicè interrogat an sit praefectus Ribaldus, annuit: tum ille rursus, si cum suis militibus imperaret, eos dicto audientes non expetebat, annuit denuo: volo etiam, inquit Hispanus, mei praefecti mandatis obtemperare. Mihi imperatum est ut te occidam, atque haec dicens pugionem in pectus ejus adigit: Ottignius similiter ab eo occiditur. His peractis, delecti sunt qui reliquos vinculis constrictos, clavis & securibus in tempora adactis mactarent, quod nulla interposita mora fecerunt, illos subinde appellantes Lutheranos, Dei atque Virginis Mariae hostes. Ea ratione contra religionem jurisjurandi crudelissimè caesi fuerunt omnes, praeter tympanistam quendam Diepensem Drouet vocatum, tibicinem & fidicinem alium Diepensem dictum Masselin, qui conservati fuerunt ad choreas illis praecinendum: elapsus est etiam nauta, qui hanc historiam mihi retulit, subsequente ratione.

Ex eorum numero qui funibus colligati ad caedem destinati erant, cum esset, aliquot cum aliis, plagas accepit, non eas quidem mortíferas, sed quibus sensu privatus duntaxat fuit, tribus sociis supra ipsum cadentibus, cum quibus pro mortuo habitus est. Hispani ingentem pyram exstruere volebant ad omnes comburendos; sed cum dies inclinaret, in alterum diem distulerunt. Nocte jacentibus humi stratis cadaveribus, nauta, qui solum attonitus fuerat, ad se rediit, atque memoria repetens se cultellum habere in lignea vagina, tantisper se versavit donec manu cultellum vagina educeret, & funes quibus ligatus erat praescinderet: deinde exurgens, illinc sine strepitu se subduxit, & tota reliqua noctis parte iter fecit; orto jam die, Solis cursu observato, quantum potuit ab arce recessit (eo enim judicio praediti sunt nautici homines, ut ex Solis situ dignoscere queant quo tendere velint) atque triduo integro sine ulla intermissione iter faciens ad Indum quendam Regem pervenit, quadraginta miliaribus ab arce distantem, apud quem per octimestre latuit, ante quam Hispanis proderetur.

Circiter octo menses ab occupata arce, Hispanis significatum est, Gallos aliquot effugisse, & per Provinciam sparfos esse. Præfectus Hispanorum metuens, ne Incolis conjuncti, quidpiam contra ipsum molirentur, minitatus vicinis Regibus, Gallos qui apud ipsos latebant repetiit: is apud quem erat hic nauta, ipsi dixit ut ad Hispanos necessario abiret, alioqui metuere, ne in se faciant impetum, atque suas possessiones incendant; ille ad alios Regulos transire voluit, sed ab omnibus responsum superiori simile tulit. Ignarus igitur quid ageret, ad arcem tendit, à qua cum binis tantum miliaribus abesset, ultra progredi non voluit, sed mœrore, animi anxietate, & fame confectus, & abjecta spe salutis, mortem expectabat; in quo statu per quatuor aut quinque dies mansit. Eo tempore tribus Hispanis ad venationem egressis, ab uno illorum deprehensus est, qui cadaveris potius quam vivi hominis speciem ipsum referre videns, misericordia (quam in mille Hispanis vix reperias) motus est, nauta ad ejus pedes se abijciēte, & orante ut ipsius miseretur. Interrogatus ab Hispano, qua ratione in ipsum incidisset, rem illi ut gesta erat narravit: mitigatus ea oratione Hispanus, pollicitus est se in arcem ipsum non ducturum (metuere enim ne statim necaretur) sed Præfecto ad iram ejus leniendam loquuturum, & se quæcumque posset in ipsius gratiam facturum; & cognita Præfecti voluntate, ad se reversurum. Eo igitur istic relicto, abijt in arcem miles, tantumq; peregrit apud Præfectum, ut polliceretur non moriturum: & militis persuasione condemnatus est ad mancipii servitia. Postridie miles Hispanus ad miserum nautam Gallum redit, & illum in arcem ducit, ubi tamquam mancipium annum servivit; deinde in Cubæ insulæ, *portum Havana* dictum missus, & compedibus vinctus cum altero Gallo viro Nobili nuncupato Domino de Pompierre, qui una cum aliis Laudonnieri militibus in *portu Havana* captus fuit, cum invitatus eam navigationem suscepisset, ut in hoc brevi totius navigationis discursu supra declaravi. Tandem Pompierus cum nauta venundati, & navi impositi, ut in Lusitaniam aveherentur: sed ea nave in Gallicam incidente, cujus præfectus erat Bontemps dictus, ex Galliæ portu adveniēns, pugnatum est utrimque aliquanto tempore, sed victoria penes Gallos fuit, qui binos istos vinctos reperientes, eos reddita libertate in Galliam reduxerunt. Sic Dominus pro sua voluntate rationes invenit, quibus miseros liberet præter ipsorum spem.

Hæc sunt quæ à nauta intellexi de interitu Ribaldi & suorum: nostrum porro est, nosmet ipsos & nostra peccata accusare de hoc eventu, non Hispanos; quibus Dominus tamquam virgis usus est, ad nos secundum nostra merita castigandum. Soli autem Deo omnipotenti, & filio ejus Iesu Christo

Domino nostro, atque Sancto Spiritui, sit honor & gloria in sempiternum. Amen.

INDEX

INDEX CAPITVM.

- 1 Floridæ Promontorium ad quod Galli appellant, *Gallicum* dicitur.
- 2 Gallorum ad Maii flumen navigatio.
- 3 Galli Maio relicto, duos alios amnes observant.
- 4 Sex alia flumina à Gallis observata.
- 5 Galli ad Portum Regalem perveniunt.
- 6 Gallorum Præfectus columnam in qua Regis Galliarum insignia, statuit.
- 7 Galli in Caroli propugnaculo relicti, annonæ penuria laborant.
- 8 Columnã à Præfecto prima navigatione locatam venerantur Floridæles.
- 9 Galli locum condendæ arcis aptum deligunt.
- 10 Arcis Carolinæ delineatio.
- 11 Ceremoniæ à Saturioua in expeditionem adversus hostes profecturo, observatæ.
- 12 Outina adversus hostem exercitum ducens, de eventu magum conficit.
- 13 Outina Gallorum auxilio Potanou suum hostem superat.
- 14 Outinæ in bellum proficiscentis militaris disciplina.
- 15 Outinæ milites ut cæsis hostibus utantur.
- 16 Trophæum & solennes ritus devictis hostibus.
- 17 Hermaphroditorum officia.
- 18 Mulierum quarum mariti vel in bello cæsi, aut morbo sublati postulata a Rege.
- 19 Mulierum extinctos maritos lugentium ceremoniæ.
- 20 Ægros curandi ratio.
- 21 Culturæ & sationis ratio.
- 22 Floridenses convehendis in publicum horreum fructibus diligentes.
- 23 Ferinæ, piscium, & reliquæ annonæ illatio.
- 24 Pisces, ferinam, reliquam annonam ustulandi ratio.
- 25 Cervorum venatio.
- 26 Crocodilos conficiendi ratio.
- 27 Floridensium in insulas trajectus, ut genio indulgeant.
- 28 Conviviorum apparatus.
- 29 Qua ratione Floridenses de feriis rebus deliberant.
- 30 Oppidorum apud Floridenses structura.
- 31 Hostium oppida noctu incendendi ratio.
- 32 Excubitorum socordia ut punitur.
- 33 Bellum denunciandi ratio.
- 34 Primogeniti solennibus ceremoniis Regi sacrificantur.
- 35 In cervi exuvio Soli consecrando solennes ritus.
- 36 Juventutis exercitia.
- 37 Qua pompa Regina delecta ad Regem deferatur.
- 38 Qua solennitate Regina à Rege excipiat.
- 39 Regis & Reginæ prodeambulatio recreandi animi gratia.
- 40 Ceremoniæ in Regis & Sacerdotum funere observatæ.
- 41 Auri legendi ratio in rivis è montibus Apalatcy decurrentibus.
- 42 Petri Gambie Galli cædes.

INDEX CAPITVM

1. Flandria: Promontorium ad quod Galli appellunt Galliam dicunt.

2. Galliam ad Mithridatem navigatio.

3. Galli Mithridatis in Galliam venientes observant.

4. Sex tribus in Galliam observant.

5. Galli ad Portum Regium perveniunt.

6. Galliam Praeterea colunt in qua Regis Galliarum insigne, fannit.

7. Gallia Caroli prope Franculo recondita per nuntia laborant.

8. Columna a Prisco prima navigatione locum venientium Floridat.

9. Galliarum conventus ad apertum deligunt.

10. Arca Caroli deponitur.

11. Carthago a Galliarum in expeditionem adversus hostes profectus ob-

12. Carthago.

13. Oritur adversus hostem exercitum dicens de eventum magnum consistit.

14. Oritur Galliarum advento Portonum hostem superat.

15. Oritur in bellum prolecerunt militaris disciplina.

16. Oritur miles in bellum hostibus utantur.

17. Oritur miles & solentibus de vestis hostibus.

18. Oritur prolecerunt officia.

19. Multi in partem in bellum vel in bello esse aut morbo subleat possunt.

20. Reges.

21. Mithridatem eximios in bellum gentium commemorat.

22. Mithridatem in bellum.

23. Cultus & disciplina.

24. Placiditas con- ditionis in publicum horum fructibus diligenter.

25. Felicitas in bellum.

26. Placiditas in bellum annorum ubi dicitur ratio.

27. Carthago in bellum.

28. Carthago in bellum.

29. Flouidissimam in bellum in bellum in bellum.

30. Conventum apertum.

31. Quia ratione Flouidissimam de bellum in bellum.

32. Oportet in bellum in bellum in bellum.

33. Hostium in bellum in bellum in bellum.

34. In bellum in bellum in bellum in bellum.

35. Bellum in bellum in bellum in bellum.

36. Primorum in bellum in bellum in bellum in bellum.

37. In bellum in bellum in bellum in bellum in bellum.

38. In bellum in bellum in bellum in bellum in bellum.

39. In bellum in bellum in bellum in bellum in bellum.

40. In bellum in bellum in bellum in bellum in bellum.


41. In bellum in bellum in bellum in bellum in bellum.

42. In bellum in bellum in bellum in bellum in bellum.




INDORVM
Floridam provinciam inhabitantium eicones,
primum ibidem ad vivum expressæ
à IACOBO LE MOYNE cui cogno-
men DE MORGVES :
addita ad singulas brevi earum declaratione.
Nunc verò recens à THEODORO DE BRÿ.
Leodiense in æs incisæ,
& evulgatæ.

Cum gratia & privilegio. Car. Majest. ad quadriennium.




FRANCOFORTI AD MOENVM
Typis Ioannis Wecheli, Sumtibus vero Theodori
de Brÿ ANNO M D XCI.
Venales reperiuntur in officina Sigismundi Feitabedi





INDORVM
 Floridam prouinciam inhabitantium eicones,
 primum ibidem ad vium expressæ
 à IACOBO LE MOYNE cui cogno-
 men DE MORGVES :
 addita ad singulas breui earum declaratione.
 Nunc uerò recens à THEODORO DE BRY.
 Leodiense in æs incisæ,
 & euulgatæ.

Cum gratia & priuilegio Cesar. Maiest. ad quadriennium.



FRANCOFORTI AD MOENVM
 Typis Ioānis Wecheli, Sumtibus uero Theodori
 de Bry ANNO M D XCI.
 Venales reperit̃ur in officina Sigismundi Feinabedii

Vertical text on the left margin, possibly a page number or reference.

Main body of text, appearing to be a list or index of entries.

Text at the bottom of the page, possibly a footer or a note.

Small circular stamp or mark on the right edge of the page.

Floridae Promontorium ad quod Galli appellunt, I.
Gallicum ab illis nuncupatum.



GALLI prima in Floridam provinciam navigatione, ad Promontorium appulerunt non in sublime elatum, (planum enim erat littus) sed præaltarum arborum sylvis obsitum, quod in honorem Gallia, Promontorium Gallicum à Classis Præfecto fuit nuncupatum, triginta circiter gradibus ab Æquatore discretum. Inde ad Septentrionem littus legentes, latum & amœnum flumen invenerunt; ad cuius ostia anchoras jecerunt, ut postridie diligentius observarent: vocavit Laudonnierus in secunda navigatione, hoc flumẽ, Delphinorum amnem, quod istuc appellens plurimos Delphinos in eo natantes vidisset. Ad fluminis ripas appellentes, multos Indos conspexerunt, qui eo se contulerant, ut ipsos perhumaniter & amicè exciperent: quemadmodum re ipsa experti sunt, aliquot ibi cum corijs ipsorum Præfecto donatis, polliciti sunt etiam suum Regem demonstraturos, qui cum illis non adsurrexerat, sed ramis lauri & palmarum substratis adhuc insidebat. Is Præfectum donavit magna pelle undique variorum animalium sylvestrium ad vivum expressorum genere exornata.

Friedrichsmonarchie und Galt-Regierung
in Preussen

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



CONSCENSIS denuo scaphis aliò navigarūt: & antè quàm appellerent, ab alia Indorum turba salutationibus excepti sunt; qui ad humeros usque flumen ingressi, parvos corbes mayzo, morisque albis & rubris plenos ipsis obtulerunt: alijs ad eos in continentem deferendos operam suam offerentibus: in quem delati, illorum Regem conspexerunt, quem bini filij cum caterva Indorum arcu & pharetra sagittis plena armatorum comitabantur. Mutuis salutationibus peractis, in sylvas profecti sunt, multa singularia istic se reperturos sperantes: sed nihil præter arbores rubra & alba mora ferentes observarunt, quarum fastigia multi bombyces occupabant. Id autem flumen Maii nomine indigetarunt; quoniam ejus mensis primo die conspectum ab ipsis fuit.

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, which is mostly illegible due to fading.

RPJCB

Main body of handwritten text, consisting of several lines of cursive script. The text is very faint and difficult to decipher, but appears to be a continuous paragraph or list of entries.


Galli Maio relicto, duos alios amnes
observant.

III.



DAVLO post in naves regressi, sublatis anchoris, ulterius secundum littus navigarunt, donec in amœnum flumen inciderent, quod ipse Præfectus observare voluit cum ejus loci Regulo & indigenis, illique Sequana nomen indidit; quia Sequana Gallia fluvio admodum simile esset: distat autem à Maij flumine circiter quatuordecim leucis. Deinde in naves regressi, ulterius ad Septentrionem navigarunt. Sed non procul digressi, aliud satis elegans flumen reppererunt, cujus observandi causa binas scaphas instruxerunt. In eo Insulam invenerunt, cujus Rex superioribus non minus humanus fuit. Flumini Axona nomen inditum; distat verò à Sequana sex miliaribus.

121 Coll. Man. ...



RFJCB



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.





INDE navigantes, & circiter sex milia emensi, alium amnem invenerunt, cui Ligeris nomen impositum: deinde alios quinque subsequenter, quorum primus CHARENTA, alter GARUMNA, tertius GIRONDA, quartus BELLVS, quintus GRANDIS, appellati. Quibus diligenter observatis, & conspectis minore quam sexaginta miliarium spatio, plurimis singularibus rebus secundum novem flumina: ijs tamen non contenti, magis adhuc ad Septentrionem progressi sunt, iter sequentes quod ad FORDANEM flumen, totius fere Septentrionis elegantissimum, eos perducere posset.



Portus Regalis, sive F. S. Helena.

TER solitum persequentes, amnem invenerunt, quem Conspectu bellum nuncuparunt: dein tria aut quatuor miliaria ulterius emensi cum essent, ipsis significatum, non procul inde abesse latum aliud flumen magnitudine & amœnitate reliqua superans: quò progressi, ob ejus amœnitatem & amplitudinem Regalem portum appellarunt. Istic subductis velis, anchoras ad decem orgyias jecerunt: descensione à Præfecto & militibus in continentem facta, amœnissimum esse locum compererunt: nam quercubus, cedris, & alijs arborum generibus constitus erat. Per quas incedentes, Indicos pavones, sive Galli-pavos prætervolantes, & cervos per sylvam errantes conspiciebant. Hujus fluminis ostium latum est tribus Gallicis leucis sive miliaribus, & in duo cornua dividitur; quorum alterum ad Occidentem vergit, alterum ad Septentrionem, idque (secundum quorundam opinionem) interiora regionis penetrans, ad flumen Iordanem tendit: alterum in mare relabitur, ut ab inquilinis observatum est. Patent hæc bina cornua magnis duobus miliaribus in latitudinem, & in eorum medio insula est, cujus cuspis fluminis ostium spectat. Paulo post navi denuo conscensa, cornu ad Occidentem se convertens ingressi sunt, ut ejus commoditates observarent: & emensis circiter duodecim miliaribus, Indorum catervam conspexerunt, qui scaphis animadversis illico, fugæ se mandarunt, relicto quem assabant lupi cervarij catulo: cujus rei causa eum locum Lupi promontorium appellarunt. Ulterius navigantes, in aliam fluminis divisionem inciderunt, ab Oriente labentem, per quam Præfectus, relicto majore alveo, navigare statuit.

PRICE

The first part of the book is devoted to a study of the history of calligraphy in the East. The author discusses the various styles and techniques used by the Chinese, Japanese, and Arab calligraphers. He also examines the role of calligraphy in the development of the written word and the art of the book.

The second part of the book is a collection of calligraphic specimens. These include examples of the various styles mentioned in the first part, as well as some original compositions by the author. The specimens are arranged in a way that allows the reader to compare and contrast the different styles and techniques.

The third part of the book is a study of the art of the book. The author discusses the various elements of the book, such as the cover, the text, and the illustrations. He also examines the role of the calligrapher in the development of the book and the art of the book.

The fourth part of the book is a study of the art of the poet. The author discusses the various styles and techniques used by the Chinese, Japanese, and Arab poets. He also examines the role of the poet in the development of the written word and the art of the book.

Gallorum Præfectus columnam, in qua Regis
Galliarum insignia, statuit.

VI.



IN naves tamen regressi, & in illis traducta unica nocte, Præfectus limitem columnæ in-
star excisum, in quo sculpta erant Regis Gallia insignia, in cymbam exonerari jubet, ut
eum amœnissimo aliquo loco collocaret: quo peracto, & tria circiter miliaria in Occiden-
tem versus emensi, fluvium observarunt, quem ingressi tamdiu navigarunt, ut tandem
in majorem fluminis alveum relabi, atque parvam insulam à continente sejunctam confi-
cere, compererint. In hanc descendentes, perspecta ejus summa amœnitate, ex Præfecti mandato, columna
in nudo quodam tumulo collocata fuit: deinde binas ingentis magnitudinis cervos, præ ijs quos hæcenus con-
spexerunt, invenerunt, quos facile tormentaria pyxide occidissent, nisi Præfectus, singulari eorum magni-
tudine delectatus, vetuisset: ante quam verò cymbam conscenderent, fluvio parvam insulam cingenti Li-
burni nomen indiderunt. Conscensa cymba, aliam insulam non procul à prima disitam perlustrare volue-
runt: sed cum in ea nihil præter celsissimas cedros, quibus pares in ea regione non viderant, repe-
rissent, Cedrorum insulam propterea appellarunt; deinde ad sua navigia reversi
sunt. Parva insula in qua columna erecta fuit, hac
nota F. insignita est.


B

Collatione litterarum et numerorum in quibusdam
anonymis et innumeris

RPJCB

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

Galli in Caroli propugnaculo relictī, annonæ VII.
penuria laborant.



DAVLO post Praefecti Ribaldi à Florida abitum, qui in Charles-fort propugnaculo supra fluvium insulam, quæ in majore Portus Regalis alveo Septentrionem spectante sita est, ingredientem, ab ipso extracto, relictī fuerant, annonæ penuria laborare cæperunt: varijs igitur exquisitis sententijs, quæ ratione his difficultatibus occurrere possent, nihil consultius futurum censuerunt, quàm ad Regem Ouadé, & Couëxis ipsius fratrem proficisci: ea de causa aliquot è suis ad eos ablegarunt, qui indica cymba per regionis interiora circiter decem miliaria progressi, elegans & magnum flumen aquæ dulcis invenerunt, in quo plurimos Crocodilos Niliacis longè majores observarunt: fluminis ripæ celsis cupressis sunt obsitæ. Paululum eo loco commorati, deinde ulterius progressi, ad Regem Ouadé pervenerunt: à quo perhumaniter excepti, sui adventus causam ipsi exposuerunt, orantes ne in tanta necessitate eos desereret. Hac re intellecta, legatos ad fratrem Couëxis mittit petitum mayzum & fabas. Quod ille sine mora fecit: nam postridie summo mane legati cum comœatu reversi, & jubente Rege annonæ in cymbam illata, Galli plurimum hac Regis liberalitate gaudentes, valedicere voluerunt: verùm ille non permittens, eo die apud se retinuit, & genialiter eos habuit. Postridie mane demonstratis milij sive mayzi agris, significavit, ne penuria se premi sinerent, quamdiu id milium superesset: deinde à Rege dimissi, eadem via, qua advenerunt, ad suos redierant.


Columnam à Præfecto prima navigatione locatam VIII.
venerantur Floridenses.



VM Galli in Floridam provinciam, secunda navigatione instituta duce Laudonniero, appulsi-
sent, ipse comitibus quinque & viginti pyxidarijs in continentem descendit, salute ab Indis ac-
cepta (nam cateruatim ad eos conspiciendos advenerant) Rex Athoré quatuor aut quinque mi-
nuta genere exhibito, indicavit se singulare quidpiam ipsis demonstrare velle, propterea orare ut
una proficiscerentur: adfentiuntur, quia tamen magno subditorum numero cinctum videbant, cautè & circumspe-
ctè cum eo profecti sunt. Ille verò eos in insulam deduxit, in qua Ribaldus super tumulo quodam saxeam limitem
insignibus Regis Gallia insculptum posuerat. Proximi facti, animadvertunt Indos hoc saxum non secus atque
idolum colere: nam ipse Rex eo salutato, & exhibito qualem à suis subditis accipere solet honore, osculū fixit, quem
imitati sunt ipsius subditi, ut idem faceremus adhortati. Ante saxum jacebant varia donaria fructibus ejus regio-
nis & radicibus edulibus, vel ad medicum usum utilibus constantia, vasaque plena odoratis oleis, arcus & sagitta:
cinctum etiam erat, ab imo ad summum, florum omnis generis corollis, & arborum apud ipsos selectissimarum ra-
mis. Per spectro miserorum horum barbarorum ritu, ad suos redierunt observaturi commodissimum ad propugnacu-
lum extruendum locum. Est verò hic Rex Athoré formosus admodum, prudens, honestus, robustus & procerus ad-
modum statura, nostrorum hominū maximos sesquipedas superans, modesta quadam gravitate præditus, ut in eo ma-
jestas spectabilis reluceat. Cum matre matrimonium contraxit, & ex ea plures liberos utriusque sexus suscepit, quos
per cussio scemore nobis ostendit: postquam verò ipsi desponsata fuit, parens ejus Saturioua illam amplius non attigit.

Galli locum condendæ arci aptum
deligunt.


IX.




BSERVATIS multis ejus regionis fluminibus, tandem itum est in eam sententiam, potius ad flumen Maii deligendas esse sedes, quàm ad aliud ullum flumen: quia jam animadverterant illud præ reliquis milio & farina abundare, præter aurum & argentum quod istic in prima navigatione repertum est: cursum igitur ad id flumen direxerunt, in quo cum navigassent ad locum quendam monti vicinum, commodior aestimatus est ille locus ad arcem condendam, quam ullus alius hæcenus ab ipsis conspectus. Postridie summo diluculo, fuis ad Deum precibus, & actis gratijs de felici in eam provinciam adventu, omnes alacres sunt redditi: deinde plana area in triquetram formam dimensa, singuli manum operi admoveere cæperunt; alij terram evertendo, alij fascies ex virgultis cæsis componendo, alij vallum conficiendo: nemo enim adfuit qui palam, ferram, securim, aliudve instrumentum non haberet, cum ad arbores cadendas, tum ad arcem instruendam, eaque diligentia adhibita est, ut brevi opus procederet.

RP:CB

In nomine domini Amen. Quia in hoc mundo
 non est aliquid stabile nisi tantum solum
 in deo. Et in deo est veritas et
 vita. Et in deo est amor et
 caritas. Et in deo est pax et
 concordia. Et in deo est
 misericordia et clemencia. Et
 in deo est iustitia et equitas.
 Et in deo est veritas et
 vita. Et in deo est amor et
 caritas. Et in deo est pax et
 concordia. Et in deo est
 misericordia et clemencia. Et
 in deo est iustitia et equitas.





REDUCTA igitur in triangulum arce, quæ Carolina postea nuncupata est, latus Occidentem objectum & continentem spectans, exigua fossa & vallo ex cespitibus constante novem pedum altitudine claudebatur; aliud latus flumini objectum tabulis & cratibus septum fuit. Latere Meridiem spectante veluti propugnaculum quoddam assurgebat, in quo horreum ad annonam recondendam exstructum. Omnia ex fasciculis & sabulo constabant præter valli superiorem partem, quæ ex cespitibus duos aut tres pedes altis erat. In media arce ampla fuit area decem & octo passus longa, totidem lata, in cujus medietate ad partem Meridiei obversam locus ad militum stationem paratus: parte verò ad Septentrionem vergente adificium, quod, quoniam altius quàm par erat, fuit exstructum, paulo post ventus disjecit: nosque experientia docuit, humilioribus contignationibus fabricanda esse adificia in ea regione magnis ventis obnoxia. Erat præterea alia area satis capax, cujus alterum latus ipsam claudens horreo supra dicto contiguum erat, & in altero latere amnem spectante Laudonieri domicilium porticu circumquaque cinctum. Hujus anterior janua majorem aream seu forum respiciebat, posticum autem, flumen. Satis procul ab arce furnus exstructus ad vitanda incendia: cum enim ades palmarum ramis essent tectæ, facilimè ignem concepissent.



RPJUB

[Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]

Ceremoniæ à Saturioua in expeditionem aduersus
hostes profecturo, observatæ.

XI.



In secunda Nauigationis compendio dictum est, Gallos cum Saturioua Rege potente eorum vicino fœdus & amicitiam contraxisse, ut arcem in ejus ditione extruere possent, atque ipsius amicis amicos, hostibus verò hostes futuros; prabituros etiam aliquot pyxidarios offerente se occasione. Tribus igitur circiter mensibus ab inito fœdere mittit ille Legatos ad Laudonniæ pyxidarios ex fœdere postulatam: bellum enim aduersus suos hostes se gerere velle. Laudonniæ missis ad eum Caillio Centurione cum aliquot militibus humaniter ostendit se nullos milites tum temporis mittere posse, quòd speraret se hostem ei conciliaturum. Ille indignatus tali responso (nam expeditionem differre non poterat, cum annonam necessariam comparasset, & vicinos Reges jam in subsidium convocasset) profectioem statim instituit. Presentibus ergo ijs qui à Laudonniæ missi fuerant, milites pro consuetudine Indica pennis & alijs rebus ornatos in planiciem accersit, vicini Regi facti ipsum cingentes in orbem confederunt, Rege in medio relictos deinde accensa ad latus ejus sinistram pyra, & collocatis ad dextram magnis duobus vasis aqua plenis, Rex veluti ira percitus oculos contorquens, gutture quidpiam submurmurans, variosque gestus faciens, subinde horrendos clamores edebat, eosdem clamores iterabant milites, cum armorum strepitu coxas ferientes. Ille deinde accepta lignea lance ad Solem se obvertit venerabundus, & victoriam aduersus hostes ab eo petens: utque nunc sparsurus erat eam aquam quam lignea lance hauserat, sic hostium sanguinem effundere posset. Magno igitur impetu aqua in aërem coniecta, & in suos milites recidente, addebat, ut ego de hac aqua feci, idem de vestrorum hostium sanguine facere possitis exopto. Effusa autem in ignem quæ in altero vase erat aqua, inquit, sic vestros hostes extinguere, & capitis ipsorum cutem referre queatis. Inde surrexerunt, & terra flumineque aduerso in expeditionem profecti sunt.